APOLOGIA
PRO XENIO DILECTIONIS,

IN QUA

Dilectionis Dei in Sacramento Pœnitentiæ neceſſitas rurſum propugnatur,

ET

Reſpondetur ijs, quæ denuò oppoſuit R. Ad. P.

MAXIMILIANVS LEDENT

Societatis Ieſu S. Theologiæ Profeſſor,

AUCTORE

F. FRANCISCO FARVACQVES

INSULENSI,

Ordinis Erem. S. Auguſtini S. Theol. Doct. Lovanienſi & in Ducali Abbatia S. Gertrudis Profeſſore.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



LOVANII,
Typis CYPRIANI COENESTENIJ 1669.

CENSURA.

Hæc pro Xenio dilectionis Apologia publicari poteſt. Datum. Lovanij 5. Ianuerij 1669.

Simon Servatij S. T. Doctor & Profeſſor Librorum Cenſor.

APPROBATIO.

Apologiam pro Xenio Dilectionis R. Ad. Ex P. M. Erancifci Farvacques ex commiſſione R. Adm. P. Guilielmi Bolli Ordinis noſtri per belgium Provincialis perlegi, & quia orthodoxæ Fidei, boniſque moribus conſentaneam reperi, publico prælo dignam cenſui. Datum Lovanij ad S. Auguſt. hâc 27. Decemb. 1668.

F. Athanaſius Maigretius S. T. Doct. & Prof. Lovanij Ord. Erem. S. Auguſt. ſtudij Theol. Regens.

FACULTAS R. Adm. P. PROVINCIALIS.

Viſâ approbatione Ex. P. M. Athanaſij Maigretij S. T. Doct. & ſtudij Lovan, Regentis, nobis inſuper atteſtantis quod in Apologia pro Xenio Dilectionis ab ex. P. M. Franciſco Farvacques compoſita nihil contineatur decreto Allexandri VII. contrarium, tenore præſentium & muneris noſtri authoritate Facultatem concedo, ut illa prœli boneficio in lucem detur ſalvâ authoritate eorum, quorum inter eſt. Datum Bruxellis Calendis Januarij. 1669.

F. Guilielmus Bolli Prior Provincialis.

APOLOGIA
PRO XENIO DILECTIONIS
IN QUA
Dilectionis Dei in Sacramento Pœnitentiæ neceſſitas rurſum propugnatur.

PRÆFATIO.

CHRISTUS JESUS prima & ſumma veritas & Charitas de igne Charitatis teſte Ambroſio ſermonem inſtituens: *iguem*, inquit, *veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur*? Vis accendi Chriſte? Parebimus. Sed quis ignem illum accendet nobis? quis potius obſecro, quàm ille ipſe, qui frigeſcente jam mundo à Charitatis, quâ fervebat, igne, Ignatij nomen obtinuit? ſcribit enim auro inſculpi dignum pro charitatis commendatione monitum. *omnes*, nquit, RECTAM *habere* INTENTIONEM *ſtudeant non ſolùm circà vitæ ſuæ ſtatum, verùm etiam circà res particulares omnes id ſemper in eis ſpectantes, ut ſerviant & placeant divinæ bonitati* PROPTER SEIPSAM, *& propter* CHARITATEM *& eximia beneficia, quibus prævenit nos potiùs, quàm ob* TIMOREM POENARUM, *vel ſpem præmiorum quamvis hinc etiam iuvari debeant* O! Ignatio dignum de igne Charitatis monitum ex intimis Auguſtinianæ doctrinæ viſceribus petitum. Quid enim Auguſtino familiarius, quàm commendare rectam intentionem, quam in Charitatis igne poſitam eſſe ubique inclamat? Auguſtino proinde jungit dexteram Ignatius. Lucæ 12

Abſit autem ut probemus frigidum illud gloſſema quorumdàm dicentium verbis S. Ignatij contineri Conſilium, non præceptum. Quid enim, quid hoc reſponſi eſt? Recta intentio ſuadetur tantùm & non præcipitur? Quis, non dico Theologus, ſed Theologiæ Tyro hoc admiſerit? An forte nèn ſatis manifeſtum eſt ipſius veritatis oraculum Matthæi ſexto dicentis: *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus: ſi oculus tuus fuerit ſimplex: totum corpus tuum lucidum erit ſi autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit*? Audi igitur Auguſtinum verborum illorum interpretem: *oculum hic accipere debemus ipſam* INTENTIONEM, *quâ facimus, quidquid facimus: quæ ſi munda fuerit &* RECTA, *& illud aſpiciens quod aſpiciendum eſt, omnia opera noſtra, quæ ſecundùm eam operamur, neceſſe eſt bona ſint. Non ergo quid quiſque* l. 2, de ſerm. Dom. in monte c. 21

 faciat

faciat, ſed quo animo faciat, conſiderandum eſt. Et anteà: *hic locus ſic intelligendus eſt, ut noverimus omnia opera noſtra tunc eſſe munda & placere in conſpectu Dei, ſi fiant ſimplici corde id iſt* INTENTIONE *supernâ ſine illo Charitatis: quia & plenitudo legis, Charitas.* Ex quo Scripturæ & Auguſtini teſtimonio, Hieremias Drexelius ità ſcribit: *Eadē nox & meræ tenebræ omnia involvunt, ubicumque* RECTÆ INTETIONIS *ſplendor non effulget. Nullum corpus pulchrum ſine hoc oculo: nullum cum hoc fœdum. Rectè agere, ut Inferos evadas, illiberalis ſervi eſt: ut cœlum obtineas, quæſtuoſi mercenarij: ut Deo placeas, hoc demum Chariſſimi eſt filij.* Qua in doctrina pijſſimus hic Auctor non ſolùm P. Ignatium, ſed & Bernardum Charitatis face prælucentem habuit. Ex hoc enim Matthæi loco ſic concludit: *Ego verè, ut interior oculus verè ſimplex ſit duo illi eſſe arbitror neceſſaria,* CHARITATEM *in* INTENTIONE *& in electione veritatem.*

Rectitudo igitur intentionis neceſſaria eſt maximè in S. Pœnitentiæ, quando cor noſtrum volumus rectum eſſe cum Deo noſtro, non tantùm per operationem, ſed etiam per ſpiritum inhabitantem. Quæ enim aliâ intētio ſufficeret? Diſtorta? Curva? nugæ. Indifferēs? atqui incertum eſt poſſitne dari talis intentio. Atque ut dari poſſet, cùm ſacramento non ſufficeret, in quo præter indifferentiam plus requiri nemo dubitat. Supereſt ergo, ut non ſufficiat niſi *Recta intentio*, quam cum in Charitate ſtatuerit S. Ignatius, doctrinam S. Ignatij propugnamus, dum Charitatem, ſaltem initialem in ſacramento Pœnitentiæ neceſſariam eſſe prædicamus. Non dubito opponenda ſeſquipedaliâ gloſſemata, ſedquæ meis etiam verbis adhiberi poſſent. verba S. Ignatij aperta ſunt, clara ſunt, manifeſta ſunt, neque alio egent interprete, ſed judice ſanâ ratione.

CAPUT PRIMUM.

Expenditur doctrina Lutheri, & Lutheranorum de Contritione.

§. I. *Cauſa iteratæ Scriptionis de errore Lutheranorum.*

ANimo fixum, immotumque ſederat Lutheranam camerinam non movere, neque damnatæ ſordibus Doctrinæ calamum intingere, quem mihi videbar ſic temperaſſe, ut non ſuppeteret unde unus gloriaretur, vel inflaretur adversùs alterum.

Verùm nupera R.P.LEDENT Reſponſio coegit me aliam conſilij rationem inire: neq; enim exiſtimavi tempus eſſe tacendi, vel diſſimulandi, quando me obtorto collo, renitente conſcientiâ, veritate, & (ut mihi quidem occurrebat) Charitate, legebam me in eamdem, ipſiſſimamque damnati Lutheri naufragantem & ruinoſam navim pertrahi, imò abripi.

Verbo rem accipiat Lector. Adverſarius meam, damnatique Lutheri ſuo penicillo, ſuiſque coloribus ità adumbrat & compingit ſententiam: *manifeſtum eſt Lutherum initio defectionis ſuæ, & præſertim in ſermone de pænitentia* REIECISSE *omnem pœnitentiam, quæ* CONCIPITVR EX METV, SPE, *aut alio ſimili motivo ab amore diſtincto, & pronuntiaſſe peccatorem adferentem talem pœnitentiam abſolutione indignum eſſe: ſolam verò illam, quæ ex amore concipitur eſſe veram pœnitentiam, & abſolutione dignos reddere. Hæc autem eſt* IPSISSIMA SENTENTIA ADVERSARIORVM: *unde fatetur hic Author quaſi quodlib. &c.* Num. 78.

Verba illa non ſemel, ſed ſæpius legi, & perlegi, vixdum proprijs confiſus oculis. Quid enim, inquiebam, an fortè obveniſſe Adverſario, quam in ſeipſo alicubi ingenuè agnoſcit Lipſius, *mentis peregrinationem*? An potiùs memoriâ excidiſſe nuperum Decretum ALEXANDRI VII. (cujus tenorem per manibus tum habebam,) quo cavetur ſub POENA EXCOMMVNICATIONIS &c. *Ne quis audeat alicujus* THEOLOGICÆ CENSVRÆ, *alteriuſve* INIVRIÆ, *aut* CONTVMELIÆ *notâ taxare alterutram ſententiam*? Quid igitur eſt, aiebam, ſi hoc non eſt Theologica cenſura, injuria, aut contumelia, *dicere noſtram eſſe ipſiſſimam Lutheri ſententiam*, quam oppoſitam eſſe Tridentino, atque ab

eodem impetitam & proſcriptam pro primario doctrinæ ſuæ fundamento ſtatuit Adverſarius? Quò fiebat, ut nonnunquam occurreret
c. 17. illud Auguſtini contrà Manichæum Adimantum: *Si vellet aliquis* DENTES *Manichæorũ in ipſos convertere, quàm mordaciter iſta reprehenderet?*
fol. 83.

Talia volutabam animo, incertus quid in re perplexa ſtatuerem, donec tandem, *cum Senatum conſilij in cor convocaſſem*, ut ille apud Comicum, placuit vocem quam apud Petrum Damiani legeram, vſurpare: *Spiritum cohibeo, & conſequentia relinquo Lectoribus intellectum:* & illud Pauli Apoſtoli: *nolite ante tempus iudicare, quò aduſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.*

1. cor. 4. Porrò ne Decretum Alex. VII. cuiquam memoriâ excidat, operæ pretium duxi, oculis Lectoris illud ipſum rurſum ſubjicere.

DECRETUM Smi. D.
ALEXANDRI VII.

Sanctissimus D.N. Alex. VII. *Cùm acceperit non ſine gravi animi mœrore Scholaſticos quoſdam acriùs, nec abſque fidelium ſcandalo inter ſe contendere, an illa Attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ excludens voluntatem peccandi cum ſpe veniæ, ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ requirat inſuper aliquem actum Dilectionis Dei, aſſerentibus quibuſdam, negantibus alijs, & invicem adverſam ſententiam cenſurantibus. Sanctitas ſua enixè cupiens pacis vinculum inter fideles ſervari, omnemque ſciſſuræ fomitem extingui, auditis votis Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum DD.* Cardinalium *adversùs hæreticam pravitatem generalium Inquiſitorum, nec non DD. Conſultorum & qualificatorum Sacræ Congregationis eiuſdem generalis Inquiſitionis, hoc præſenti Decreto in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub pœna* EXCOMMUNICATIONIS *latæ ſententiæ huic ſanctæ Sedi reſervatæ, alijſque pœnis eiuſdem ſanctæ Sedis arbitrio taxandis præcipit cunctis &* SINGULIS *fidelibus quocumque gradu, ac dignitate Epiſcopali, & maiori, imò & Cardinalitiâ fulgentibus, ut ſi deinceps de materia Attritionis præfata ſcribent, vel* Libros *aut ſcripturas* EDENT, *vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut Scholares, cæteroſve erudient, non audeant alicuius* Theologicæ censuræ, *alteriuſve* iniuriæ, *aut* contumeliæ *notâ taxare alterutram ſententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis Dilectionis Dei in præfata Attritione ex metu gehennæ conceptâ, quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur, ſive aſſerentem dictæ Dilectionis neceſſitatem, donec ab hac ſanctâ Sede fuerit aliquid hac in re definitum. Sta-*

tuit-

tuit quæ præterea Decretum hoc, ſeu illius exemplum ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de urbe & in acie Campi Floræ affixum omnes ubi que exiſtentes arctare, & afficere, ac ſi unicuique perſonaliter fuiſſet intimatum.

Franciſcus Riccardus ſanctæ Romanæ & univerſalis Inquiſitionis Not.

locus ✠ *Sigilli.*

§. II. *Variæ inter noſtram, Lutheríque ſententiam differentiæ.*

Nihil familiariùs Adverſarijs, quàm objecto Lutheranæ doctrinæ conſortio adverſus Dilectionis in ſacramento Pœnitentiæ neceſſitatem velle præſcribere. Memini me non ſine admiratione (ut mitiſſimè loquar) legiſſe theſim 37. à Rdo. P. Ægidio Thybault S. Th. Profeſſ. Soc. Jeſu Anno 1660. propugnatam, in qua ſic habebatur: *Acriter olim Lutherus invectus eſt in Catholicos, quod docerent Contritionem ex ſolo metu gehennæ ſine motivo Charitatis conceptam ſufficere ad iuſtificationem in ſacramento Pœnitentiæ, & eiuſmodi Attritionem contendebat malam eſſe, quatenus implicitè annexam habet voluntatem peccandi, ſi non eſſet pœna. Luthero, eiuſque in hoc* SEQUACIBUS ANATHEMA *dicit Tridentinum, & declarat eiuſmodi Contritionem imperfectam cum ſpe veniæ in ſacramento ſufficere poſſe.*

Hanc libertatem Lutherano carbone notandi noſtram Sententiam mirum quantâ prurigine nonnulli poſtea imitati fuerint. Quibus licet Alexand. VII. nupero ſuo Decreto capiſtrum injeciſſe videatur, nihilo minus, ut detractâ larvâ quiſque manifeſtè conſpiciat, quàm malè fundata ſit illa ſcribendi, & Lutherani erroris notam objiciendi licentia, lubet hîc oſtendere immanè quantum Lutherus à nobis diſtet, eaſque differentias inter utramque ſententiam in medium proferre, quas ex proprijs verbis, ſi voluiſſet Adverſarius, potuiſſet agnoſcere.

PRIMA DIFFERENTIA. Ipſo loco, quo ſocietatis & concordiæ cum Luthero nos inſimulat Adverſarius, fatetur & ſcribit: *manifeſtum eſt Lutherum initio defectionis ſuæ & præſertim in ſermone de Pœnitentia* REIECISSE *omnem* POENITENTIAM, *quæ* CONCIPITUR EX METU &c. fateor, ſed quo candore ſubjungitur: *hæc autem eſt ipſiſſima ſententia Adverſariorum*? ipſiſſima? Ego rejicio omnem pœnitentiam, quæ concipitur ex metu? ego inquam, ego ille de quo num. 78.

 pau-

paucis poſt lineis ità ſcribit : *Timorem non admittit tantum P. Farvacques, ſed inſuper aſſerit* TIMOREM IN OMNI JUSTIFICATIONE INTERVENIRE ? Ego,qui in quæſt. quodl. arg. 1. §. 5.commendo doctrinam , quæ docet pœnitentiam Cathecumenorum SEMPER CONCIPI *ex timore ſervili*, ſive ut ipſe aliquoties exprimit *ſemper debere incboari à timore ſervili* ? hæc ſunt ipſiſſima eadem : *ſemper concipi ex timore , & nunquam concipi* ? ſi do admittit , manus , fateorque mihi tantam eſſe cum Lutheri doctrina concordiam , quanta eſt inter *ſemper & nunquam.*

SECUNDA DIFFERENTIA *Manifeſtum eſt Lutherum initio defectionis ſuæ &c. rejeciſſe omnem pœnitentiam, quæ concipitur ex* SPE *&c.* prout ibidem Adverſarius.Cedò hæc eſt *ipſiſſima ſententia* noſtra?Ego actum Spei à pœnitentiæ negotio rejicio ? ubi ? quandò ? quo loco ? quibus verbis?

ibid. TERTIA DIFFERENTIA : Lutherus volebat ſolo amore Contritionem à peccatoribus quæri ; neque hoc diffitebitur P. Le Dent ex cujus ſententia Lutherus rejecit omnem pœnitentiam , quæ concipitur ex motivo ab amore diſtincto.

Imò illa fuit ſumma totius controverſiæ inter Catholicos & Lutherum : *utrum Contritio ſolo amore conciperetur* ? Luthero affirmante , Catholicis negantibus.

Uude Joannes Eckius lib. 1. de pœnit. c. 1. SUMMA *ego* DISPUTATIONIS *noſtra eſt : contendit Ludder impugnando veritatem cum confidentia clamoris* : CONTRITIONEM SOLO AMORE CONCIPI: *ſi quis autem eam parare velit recogitando omnes annos in amaritudine animæ ſuæ &c. hanc Contritionem aſſerit facere hypocritam , ac magis peccatorem.* POENITENTIAM NON NISI AMORE CONCIPI.

Ecce ſummam diſputationis Catholicorum cum Luthero : ecce caput erroris:*Contritionem ſolo amore concipi.*Quæſo in illa ſumma diſputationis , in illo capite erroris , nos Luthero ſubſcribimus ? hæc eſt *ipſiſſima ſententia* noſtra ? relegantur obſecro verba , quæ ſcripſi in quæſt. quod pag. 51. : *nos qui exiſtimamus non* SOLO AMORE,*verùm etiam timore pœnitentiam concipi , non tantum à Lutheri doctrina diſcrepamus , verùm etiam eidem doctrinæ è diametro repugnamus.*

QVARTA DIFFERENTIA.Lutherus docuit pœnitentiam omnem debere ex perfecto, & juſtificante, ſeu,ut loquitur , *gratificante* amore concipi.

Conſtat hoc ex aſſertione articuli ſexti , in qua Lutherus rejicit. *Neutralem illam Theologiam, quæ inter odium &* GRATIFICANTEM AMOREM

REM *medium fingit naturalem amorem legis, qui contritionem iſtam parit.* Quibus verbis clariſſimè declarat, ſe amoris nomine intelligere amorem gratificantem, ſeu, ut nos loquimur, juſtificantem.

Et quid mirum? ibidem enim præmiſerat: *ego enim peccatum aſſero, quidquid ante gratiam fit in homine, tantùm abeſt, ut præparet ad gratiam,* utique juſtificantem de quâ manifeſtum eſt ibi ſermonem eſſe, Quomodò etiam Lutherum intellexit cenſura Pariſienſis apud Eckium. Propoſitionem enim hanc Auguſtini: *bonus eſt timor & utilis* &c. ità cenſuraverat Lutherus: *hoc eſt meo iudicio conſuetudo deſperandi & odiendi Deum. ſi excludatur* GRATIA. Porrò Lutheri cenſuram ità cenſurat facultas Pariſienſis: *iudicium Lutheri de dicto. Auguſtini: bonus eſt timor &c. eſt falſum temerarium & impium accipiendo gratiam, ut ſuprà pro* GRATIA GRATUM FACIENTE, *ſicut eam accipit* SCRIPTOR. l. 1. de pœnit. c. 1.

Quod ſi Luthero omne opus, quod fit ab homine ante gratiam ſanctificantem viſum fuerit eſſe peccatum: ergo non admiſit amorem niſi gratificantem, ſeu juſtificantem.

Meritò proinde jactis à ſe fundamentis ſuper ædificat hanc concluſionem in aſſertione Articuli ſeptimi: *ſis ergo certus, ſimul cum homo conteritur, ſimul & gratia* (utique juſtificans) *infunditur*

Ex quibus omnibus apparet Lutheri ſententiam fuiſſe: pœnitentiam omnem debere ex perfecto, ſeu juſtificante amore concipi.

Hæc eſt *ipſiſſima ſententia* noſtra? nos ſentimus pœnitentiam omnem ex amore perfecto, ſeu *gratificante* debere concipi? nos omne opus, etiam imperfectum Dei amorem, qui reperitur in homine ante gratiam ſanctificantem cum Luthero peccati damnamus?

QVINTA DIFFERENTIA priori conjuncta. Lutherus imperfectam charitatem tamquàm vitioſam à pœnitentiæ negotio rejecit: unde negabat pœnitentiam ex hujuſmodi amore imperfecto poſſe concipi.

Liquet hoc ex Articulo quarto Lutheri in quo ità ſcribit: *imperfecta charitas morituri ſecum fert neceſſariò magnum timorem, qui ſe ſolo ſatis eſt facere pœnam purgatorij, & impedit introitum regni.*

Et in aſſertione dicti articuli ſeſe explicans: *quum enim Ioannes Apoſtolus verè dicat: timor pœnam habet, & timorem non expellit niſi perfecta charitas, ut idem dicit, clarum arbitror hinc fieri timorem eſſe in imperfecta charitate, qua eum expellere nequit. Hoc autem* VITIUM *charitatis (ſicut Auguſtinus appellat) quid eſt aliud, quàm fomes & reſiduum originalis peccati, quod hominem privavit à recta, ſecura, & perfecta charitate Dei? Quare verum eſt imperfectam charitatem* IMPEDIMENTO

TO AD INTROITVM REGNI PROPTER VITIVM QVO IMPERFECTA EST. Non potuit Lutherus apertiùs doctrinæ ſuæ venenum evomere, & imperfectam charitatem à pœnitentiæ negotio rejicere. Te obteſtor amice Lector *hac eſt ipſiſſima ſententia noſtra*? nos imperfectam charitatem à pœnitentiæ negotio ſecludimus? Nos imperfectam charitatem dicimus impedimento eſſe ad introitum regni propter vitium quo imperfecta eſt? propter fomitem & reſiduum originalis peccati, quod hominem privavit à recta, ſecura, & perfecta charitate Dei? Ne ipſe quidem audebit hoc cogitare, nedum aſſerere Adverſarius.

SEXTA DIFFERENTIA, eàque potiſſima & maximè eſſentialis. Lutherus in priore ſua ſententiâ ſic docuit pœnitentiam amore concipi, ut tamen reverà ſub amoris pallio veram negaret pœnitentiam, & nonniſi chymæricam ac fictitiam mundo proponeret.

Nemini Catholicorum dubium eſt, quin vera pœnitentia debeat eſſe *verum odium, verus dolor, vera peccatorum deteſtatio.* Quid porrò Lutherus? initio defectionis ſuæ negavit pœnitentiam debere eſſe *verum odium, verum dolorem, veram deteſtationem peccatorum.* Teſtem hujus veritatis profero Cardinalem Bellarminum libro 2. de pœnit. cap. 4. ità ſcribentem: *Lutherus initio defectionis ſuæ à Catholica eccleſia inter alia multa hæretica paradoxa, hoc etiam excogitavit ac docuit: non eſſe veram contritionem, ſive pœnitentiam* ODIUM VITÆ PRÆTERITÆ, *ſed amorem iuſtitiæ & novam vitam.*

Idem Cardinalis etiam librò 1. cap. 7. diſertè teſtatur, *pœnitentiam Luthero non deſignare* ODIVM *vel* DOLOREM DE VITA PRÆTERITA, *ſed ſignificare amorem iuſtitiæ &c.*

Quamquam quid opus aliunde accerſito Bellarmini teſtimonio? Lutherus ipſe loquatur famoſo illo, quem Adverſarij ad ravim uſque inclamant, ſermone de pœnitentia: *plus*, inquit, *tibi diſcutiendum eſt, confeſſuro, quantum diligas iuſtitiam, quàm quantum odias peccatum: multoque maiore, imò* SOLO *hoc* LABORE *tibi cogitandum eſt, quomodò futuram vitam agas bonam, quàm quomodò* ODIAS, AUT DESERAS PRÆTERITA MALA. *Veriſſimum enim eſt proverbium & omni doctrinâ de contritionibus huc uſque datâ præſtantius: optima pœnitentia nova vita.*

Hæc Lutherus, qui ſolùm in eo laborandum jubet, quomodò vitam agas bonam, non quomodò præterita oderis mala.

Idem etiam Lutherus in epiſtola ad Staupitium ſcripta Anno 1518. non obſcurè ſcribit nomen pœnitentiæ non ſignificare odium, vel dolo-

dolorem de vita præterita, ſed amorem, dilectionemque juſtitiæ.

Denique circa primam concluſionem reſolutionum ſuarum ſcribit iterum: *non ergo in uſu ſacræ ſcripturæ pœnitentia* DOLOR *definitur, ſed mutatio mentis & conſilij.*

Avertat benevolus Lector oculos ſuos à vanitate Lutheranæ doctrinæ, & in noſtram convertat ſententiam. Amabo, nos cum Luthero pœnitentiam prædicamus *odio vitæ præteritæ* deſtitutam? Nos *dolorem, & deteſtationem peccatorum, deſertiônem præteritorum malorum* è tribunali ſacramentali proſcribimus? hæc eſt, ſi Deo placet, *ipſiſſima ſententia* noſtra? hæc eſt illa, pro cujus neceſſitate pugnamus, pœnitentia? Nemo, ut opinor, id aſſerat, qui non omnium calculo, Cantherino, ut ajunt, ritu ſtans ſomniare cenſeatur.

Qua-propter inſinuat ſeſe, non manifeſtum tantùm, ſed & intimum, capitale, & ut ità loquar *ſubſtantiale* ac *eſſentiale* ex ipſis viſceribus cauſæ petitum diſcrimen inter noſtram, Lutherique ſententiam. Hoc nimirum, quod actus pœnitentiæ nobis ſit *verum odium vitæ præteritæ, verus dolor & deteſtatio peccatorum*, non item Luthero.

Ac proinde vix dici poteſt, quantoperè fallatur Adverſarius, dum ità concludit: *neceſſe eſt, ut fateatur P. Farvacques ſuam ſententiam cum priore Lutheranorum doctrina, quoad* ACTVM CVM SACRAMENTO REQVISITVM CONCORDEM *eſſe.*

Neceſſe enim erit ut concordiam illam fatear, quandò *odium vitæ & non odium, dolor & non dolor, deteſtatio & non deteſtatio, deſertio & non deſertio præteritorum malorum* eodem cenſebuntur nomine, ac in eamdem coaleſcent naturam & concordiam. Quamdiu verò Adverſarius illa non potuerit in concordiam redigere, tamdiu neceſſe erit fateatur ſententiam P. Farvacques cum priore Lutheranorum doctrina quoad actum cum ſacramento requiſitum concordem non eſſe, noſtramque non eſſe ipſiſſimam Lutheri ſententiam.

Quàm fragile porrò & infirmum eſt, cui Adverſarij oppoſitio nititur, fundamentum! *fatetur*, inquit, *hic Author quæſtionis quodlib. pag. 52. hoc ſibi cum Luthero commune eſſe, quod initio defectionis ſuæ docuerit pœnitentiam omnem debere ex amore concipi.*

Faſſus ſum, non inficiabor: ſed quâ conſequentiæ veriſimilitudine infertur: *ergo noſtra ſententia eſt ipſiſſima ſententia Lutheri reiicientis omnem pœnitentiam, quæ concipitur ex metu, ſpe, aut alio ſimili motivo ab amore diſtincto?*

Pari jure poſſem ità argumentari: *Author reſponſionis docet cum Luthero*

thero & Confeſſioniſtis pœnitentiam ex timore pœnarum ſufficienter concipi: ergo eius ſententia eſt ipſiſſima ſententia Lutheri & Confeſſioniſtarum reiicientium pœnitentiam, quæ ex amore Dei concipitur?

Patiatur itaque Adverſarius vel utramque conſequentiam negari, vel ſciat parem obligationem ſibi incumbere Lutheranæ doctrinæ notam à ſe propulſandi. Quod enim tam confidenter aſſerat ſibi & Luthero nihil eſſe commune, ſequenti paragrapho abundè confutabitur.

Ut autem luce clariùs appareat, quàm falſum ſit, quod noſtra ſit *ipſiſſima Lutheri ſententia*, lubet ea, quæ hoc paragrapho dicta ſunt breviter in ſummam redigere.

I. Lutherus initio defectionis ſuæ rejecit omnem pœnitentiam, quæ concipitur ex metu, nos talem pœnitentiam veneramur.

II Lutherus rejecit omnem pœnitentiam, quæ concipitur ex ſpe aut alio ſimili motivo ab amore diſtincto: nos talem pœnitentiam toto corde ſuſcipimus.

III. Lutherus pœnitentiam voluit ſolo amore concipi, nos id negamus & pernegamus.

IV. Lutherus docuit omnem pœnitentiam ex amore perfecto, ſeu gratificante debere concipi, nos falſum id eſſe lubentes, volenteſque pronuntiamus.

V. Lutherus amorem & charitatem imperfectam tamquam vitioſam à pœnitentiæ negotio rejecit, nos charitatem imperfectam tamquam concipiendæ pœnitentiæ idoneam commendamus & extollimus, tantùm abeſt ut tamquam vitioſam rejiciamus.

VI. Lutherus ſic docuit pœnitentiam amore concipi, ut reapſe veram pœnitentiam, verum odium, verum dolorem, veram peccatorem deteſtationem negaret: nos oppoſitum tamquam fidei dogma in Tridentino definitum intimo cordis affectu amplectimur, & docemus.

Poſſem nullo negotio plura inter noſtram, Lutherique ſententiam momentoſa detegere diſcrimina; verùm mihi ſpes eſt, ea, quæ partim ex ipſis Adverſarij verbis, partim ex viſceribus cauſæ prolata ſunt, curioſo Lectori abundè comprobaſſe, non eſſe ipſiſſimam Lutheri, noſtramque ſententiam.

§. 3.

§. 3. *Vtrùm R^{do}. Patri Le Dent nihil ſit commune cum poſteriore Lutheranorum ſententia ?*

INtrepidè affirmat his verbis : *Neceſſe eſt, ut* FATEATVR P. Farvacques, *nobis cum neutra Lutheranorum ſententia quidquam eſſe commune.*

Neceſſe eſt, ut fatear ? Parebo, ſi tamen priùs Adverſarius nonnullos ſcrupulos, qui confeſſionis meæ candorem remorantur, dignatus fuerit audire, & ex animo evellere.

PRIMUS SCRUPULUS. Lutherani cum Luthero in poſteriore de contritione ſententia docent *primam partem pœnitentiæ* timore pœnarum, abſque ulla prorsùs, etiam minimæ Charitatis ſcintilla, ſufficienter concipi, prout non inficiabitur Adverſarius.

Quid ? Neceſſe eſt, ut ego citrà ſcrupulum fatear cum illa ſententia Adverſario nihil eſſe commune ?

SECUNDUS. Lutherani docent ex timore pœnarum abſque ulla divini amoris flammula concipi *dolorem de peccatis*, prout agnoſcit P. Le Dent numero 83.

Interrogo, neceſſe eſt, ut ego citrà ſcrupulum fatear cum illa ſententia Adverſario nihil eſſe commune ?

TERTIUS. Lutherani docent ex timore pœnarum abſque ullo benevolo in Deum amore concipi *propoſitum vitandi peccata*, prout oſtendi in Xenio pag. 36.

Quæro, neceſſe eſt, ut ego citrà ſcrupulum fatear cum illa ſententia Adverſario nihil eſſe commune ?

QUARTUS. Lutherani docent terrores conſcientiæ incuſſos, ſeu dolorem de peccatis & propoſitum non peccandi ex ſolo pœnarum timore oriundùm eſſe opus bonum, & ſupernaturale, ſive, ut loquitur Lutherus Xenij pag. 38. *Non naturalium virium, ſed Spiritûs ſancti cor noſtrum efficaciter moventis opus.*

Obſecro, neceſſe eſt, ut ego citrà Scrupulum fatear cum illa ſententia Adverſario nihil eſſe commune ?

QUINTUS. Lutherani *ſenſum veræ pœnitentiæ de offenſa Dei* (ſic enim loquitur eorum caput Xenij pag. 21.) explicant per ordinem ad iram & indignationem divinam, negantque Dei propter ſe amorem in eum finem eſſe neceſſarium,

Peto, ſitne neceſſe, ut ego citrà ſcrupulum fatear, cum illa ſententia Adverſario nihil eſſe commune?

Sextus. Lutherani docent cordis ad Deum converſionem haberi abſque ullo Dei propter ſe amore, prout oſtendi Xenij folio 23.

Quid? neceſſe eſt, ut ego citrà ſcrupulum fatear cum illa ſententia Adverſario nihil eſſe commune? An fortè commune eſt, quod vult Adverſarius, & non commune eſt, quod non vult eſſe commune? Aut fortè huc ſpectat illud Apoſtoli: *nihil commune per ipſum, niſi ei, qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt?*

ad Rom. 14. v. 14.

§. IV. *Examinantur differentiæ, quas inter ſuam, Lutherique ſententiam ſtatuit P. le Dent, oſtenditurque nos eodem jure ſeparari à ſententia Lutheri, quo prætendit idem Author ſeparari.*

Abſit, ut vel cogitem ſententiam Adverſarij eſſe ipſiſſimam Lutheri: confidenter tamen aſſero pleraſque differentias quas obſervavit, nobis eumdem à Lutherano naufragio ſeparationis portum exhibere, quem poſſet Adverſario. Utrum autem diſcrimina, quæ allegat, ſint idonea, & manifeſtiora aſſignari non poſſint, nolo judicare. Proponam tamen, quæ opponi poſſe mihi videbuntur.

num. 91. Primum discrimen ità proponit: *in terroribus* Lutheranis *nullus includebatur reſpectus ad Confeſſionem, & ſatisfactionem*, qui tamen reſpectus includitur in Attritione ſervili ergo &c.

Verùm ſi hâc ratione Attritio ſervilis ſecernitur à fæce Lutheranæ ſententiæ, nihilque habet cum illa propterea commune: ut quid Lutheranæ fæcis communionem timeamus?

Sic enim urgeo: in Contritione, quam Lutherus docuit initio defectionis ſuæ nullus includebatur reſpectus ad Confeſſionem & ſatiſfactionem, qui reſpectus includitur in Contritione noſtra. Ergo &c.

Eſtne ovum ovo, lac lacti ſimilius, quàm hoc argumentum argumento Adverſarij?

Negabit fortè priorem Lutheri Contritionem caruiſſe iſtiuſmodi reſpectu ad Confeſſionem & ſatiſfactionem: ſed nihil negotij eſt hoc probare.

Et quidem quod ad Confeſſionem attinet, conſtat ex ijs, quæ Cardinalis Bellarminus refert ex *libro de capt. babyl. ſermone de pœnit. articulo 8. &c.* Lutherum ab initio defectionis ſuæ de medio ſuſtuliſ-

L. 3. de pœnit. c. 4.

ſe veram Confeſſionem: ac proinde Contritio, quam tum prædicabat, non includebat reſpectum ad veram Confeſſionem.

Quod autem ſpectat ad ſatisfactionem, rejecit illam in ipſa Aſſertione articuli quinti, in qua ità ſcribit: SATISFACTIONEM NEGAVI *qualem ipſi docent, quod mihi non erit difficile probare.* Et infrà: *vehementer odi, & ſublatum vellem hoc vocabulum ſatisfactio, quod non modò inſcripturis non invenitur, ſed periculoſum habet ſenſum, quaſi Deo poſſit quiſpiam pro ullo peccato ſatisfacere.*

Quam in rem etiam obſervat Bellarminus, ex concione de indulgentijs Anno M. D. XVIII., Lutherum initio ſuæ doctrinæ negaſſe lib. 4. c. 2, pœnam à Deo exigi poſt culpam.

Si negavit pœnam poſt culpam, ergo & ſatisfactionem, ergo & reſpectum ad ſatisfactionem. Cùmque anteà probaverimus priorem illam Lutheri Contritionem nullum incluſiſſe reſpectum ad Confeſſionem, conficitur Contritionem noſtram non minùs à Lutherana differre, quàm Adverſarij.

At iſti differentiæ nolim ex toto confidere: videtur enim differentia illa in ordine ad Confeſſionem & ſatisfactionem non ſatis ſeparare *actum pœnitentiæ cum ſacramento requiſitum* à prima parte pœnitentiæ Lutheranorum. Poſſet enim ſimul conſiſtere, quod prima pars pœnitentiæ Lutheranæ quoad actum cum ſacramento requiſitum foret eadem cum Attritione ſervili, quamvis penes diverſos reſpectus differret. Fingamus primam partem pœnitentiæ Lutheranæ ab Attritione ſervili *in ſubſtantia*, ut ità loquar, non differre, ſed tantùm penes diverſos reſpectus: eritne propterea actus cum ſacramento pœnitentiæ requiſitus ſubſtantialiter diverſus? nihil erit inter utramque ſententiam commune?

Fingamus iterum hæreticum quempiam docere materiam Baptiſmi eſſe aquam naturalem, cum reſpectu tamen ad formam falſam. Eritne propterà dicendum, quod Hæreticus ille nihil prorſus doceat nobiſcum commune? non tradet ille unam ſaltem partem Baptiſmi, quam docent Catholici? Errabit ille circa ſubſtantiam primæ partis Baptiſmi?

Poſſet igitur aliquis ſimiliter contendere primam partem pœnitentiæ Lutheranæ in ſubſtantia non differre ab Attritione ſervili, quamvis concederet differre penes reſpectum ad Confeſſionem, & ſatisfactionem, ac propterea aliud eſſentialius diſcrimen deſiderare.

SECUNDUM DISCRIMEN ſtatuitur ab Auctore Reſponſionis hoc modo: *terrores ab Hæreticis aſſerti, non habebant neceſſariò ad-*

junctam ſpem veniæ, quam habet Attritio ſervilis. Ergo &c.

Mutemus Clypeos, & fas ſit mihi ità ratiocinari: *prima Contritio à Luthero aſſerta non habebat neceſſariò adjunctam ſpem veniæ*, quam habet Attritio noſtra. Ergo &c.

Antecedentis probationem ut habeat Adverſarius tantùm dignetur relegere verba quæ ſcripſit *num.* 78: *manifeſtum eſt Lutherum initio defectionis ſuæ rejeciſſe omnem pœnitentiam, quæ concipitur ex metu,* SPE, *aut alio ſimili motivo ab amore diſtincto.* Si pœnitentiam, quæ concipitur ex Spe, rejecit: ergo & illam, quæ adjunctam habet Spem veniæ.

Quod ſi nolit proprijs verbis credere, audiat Lutherum propriæ mentis interpretem. Scribit ille in Aſſertione Articuli ſexti: *cum ergo collectio peccatorum extra gratiam non niſi legem ſibi præſtituat ad quam peccata ſua confert, impoſſibile eſt (licet metu pœnæ, vel* SPE PRÆMIJ *fortiter ſimulet) ut non magis odiat legem quam peccatum &c.*

Clarum eſt, quod Lutherus ab ea, de qua agit Contritione, actum ſpei proſcribat, & conſequenter ſpem veniæ: Nos verò ad ſalutarem Contritionem requiri ſpem veniæ cum clamore valido proteſtamur: ergo vel eo titulo à Lutheranæ doctrinæ contagio mundi ſumus, vel ne ipſe quidem Adverſarius.

Quamquam re benè inſpectâ aliquantò certius videatur nos hac in parte à Luthero diſſentire, quam certum ſit diſſentire Adverſarium.

Quod enim confidenter aſſerat terrores Lutheranos non habuiſſe neceſſariò adjunctam ſpem veniæ, ſi de terroribus intelligatur prout à Luthero, ejuſque aſſeclis dicuntur prima pars pœnitentiæ, non video firmâ quâdam ratione hactenus probatum fuiſſe.

Quin imò Lutherus quamquam in priore de Contritione ſententia ſpem veniæ à pœnitentiæ conſortio rejecerit, (qua in re plurimum à nobis diſſentit) poſtmodum tamen ab amoris extremo ad extremum timoris dilapſus, ſpem veniæ, ſeu ut loquitur in cap. 14. Oſeæ *ardens deſiderium ignoſcentiæ* ad pœnitentiam ſolet requirere.

Unde ibidem, *in ipſis doloribus*, inquit, *concipiunt* SPEM; *& tamquam in umbra mortis viderent* (fortè vident) *lucem vitæ. Etſi enim peccata* TERRENT, *tamen ideò non deſperant, quia vident. Pretium peccatorum incomparabile ſanguinem filij Dei.* Et in Pſalm. 51. agens de Contritione in terroribus ſitâ, *ſcimus*, inquit, *ipſum* (DEUM) *velle ut* SPEREMUS, *& niſi* SPERES *pœnam æternæ damnationis ſubeundã eſſe.*

Quò fit etiam, ut idem Lutherus terrores ſuos, prout ſtatuunt primam partem pœnitentiæ, à pœnitentia Judæ inter cetera hoc nomine

mine diſtinguat, quod prima pars pœnitentiæ adjunctam habeat ſpem veniæ, non item pœnitentia Judæ.

Liquet hoc ex Lutheri commentario in cap. 27. Geneſis, in quo ſic habet: *pœnitere igitur eſt ſeriò ſentire iram Dei propter peccatum ità ut animo angatur peccator, & excrucietur* DESIDERIO SALVTIS, *& miſericordiæ Dei. Hunc verò erigit, & conſolatur, qui poteſt, ne* DESPERET, *& pereat, ſicut Iudas deſperabat.*

Quapropter non eſt uſquequaq; verum, quod ſcribit P. Le Dent pœnitentiam Petri, ſeu primam partem pœnitentiæ Lutheranæ juxtà Lutherum, ejuſque Aſſeclas non differre à pœnitentia Judæ niſi penes alteram partem pœnitentiæ, prout conſtat ex verbis Lutheri, & manifeſtius evadet ex dicendis. Num. 85.

Quamquam etſi concederetur primam partem pœnitentiæ ex mente Lutheranorum non habuiſſe adjunctam ſpem veniæ, ſupereſſet probanda differentia inter terrores Lutheranos & Attritionem ſervilem quoad actum, qui Attritio ſervilis dicitur. Quid ſi enim nonnemo contendat Attritionem ſervilem eſſe actum priorem ſpe veniæ, prout ex Tridentino poſſet aliquis conjicere? nonne alia tum foret inveſtiganda differentia?

TERTIUM DISCRIMEN inter ſuam, Lutherique ſententiam Adverſarius profert hujuſmodi: *terrores Lutherani voluntatem peccandi nullo modo excludebant*, ob cauſam infrà examinandam: porrò Attritio ſervilis voluntatem peccandi excludit. Ergo &c. Num. 91.

Verum, eâdem operâ, eodem calamo poterat Adverſarius potiori jure à Lutheranæ doctrinæ ſocietate nos ſeparare. Tantùm enim debuerat ſic argumentari: *Prima Contritio à Luthero aſſerta voluntatem peccandi nullo modo excludebat*: porrò Attritio noſtra voluntatem peccandi excludit. Ergo &c.

Antecedentis veritas conſtat ex dictis paragrapho 2. in quo oſtendimus primam Lutheri Contritionem neque fuiſſe *verum odium vitæ præteritæ, neque dolorem, aut deteſtationem peccatorum, neque deſertionem præteritorum malorum.* Exinde enim neceſſariò ſequitur quod talis Contritio voluntatem peccandi nullo modo excluſerit. Quomodo enim excluderetur voluntas peccandi à peccatore, qui nullo odio, dolore, vel deteſtatione peccati commiſſi tenetur, qui præterita mala non deſerit? ſanè, quod excluditur, utique affectu deſeritur. Sumus igitur à tempeſtate Lutherana remotiſſimi, vel ipſo navim agente Adverſario. Placet autem examinare utrum perinde ſecurum ſibi portum elegerit.

Probat terrores Lutheranos non excludere voluntatem peccandi, quia ducebant ad deſperationem.

Verùm de efficacia hujus probationis poſſet quis non de nihilo ſubdubitare: videtur enim ſic argumentans non ſatis diſtiuguere terrores de quibus agunt Lutherani. Quod ut Lector intelligat

Obſervo ex Alphonſo Virveſio Philippica 9. duplicis generis terrores agnitos fuiſſe à Lutheranis, ſcilicet *veros* & *falſos*. Unde Virveſius: *quàm vellem*, inquit, *ut Philippus* (Melanchton) *iſtos* VEROS *terrores*, *quibus* SERIÒ *conſcientia* (*ſic enim illos exponit*) DOLERE *conſuevit*, *à* FALSIS *mihi diſtingueret*. Et ipſe Melanchton in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ primam partem pœnitentiæ vocat VEROS *terrores conſcientiæ*, utique diſtinguens terrores illos à falſis terroribus, quos habuit Judas, Cain &c. quoſque pertinere ad pœnitentiam *hypocriticam* & *ſimulatam* docet Lutherus in caput 31. geneſis.

Probatio itaque propoſita evincit *falſos* illos *terrores* ducere ad deſperationem, ac proinde nullo modo excludere voluntatem peccandi: ſed de terroribus illis, quos primam pœnitentiæ partem ſtatuebant, Lutherani, nihil video efficaciter concludi. Imò potius poſſet quis ex dictis oppoſitum ſuſpicari. Ut enim vidimus, contendunt Lutherani veris illis terroribus conſcientiam *ſeriò dolere* non item *falſis terroribus*: ergo ut conſequenter loquantur, debent docere veros terrores excludere voluntatem peccandi, neque enim videtur ſeriò de peccatis dolere, qui voluntatem peccandi ab animo ſuo nullatenus excludit. Falſis porrò terroribus ſicut anima ſeriò non dolet, ità etiam ex eorum doctrina, deſperatio & voluntas peccandi non excluditur.

Neque verò exiſtimàre oportet terrores veros & falſos à Lutheranis confundi nullo prorſus facto inter illos diſcrimine, prout videtur ſentire Adverſarius; etenim illos terrores plurimùm diſcernunt.

I. Quia terrores illos non minùs diſtinguunt, quàm *veritatem à falſitate*, ut ex dictis colligitur.

II. Veris terroribus docebant conſcientiam *ſeriò dolere*, quod de falſis terroribus minimè docebant.

III. Veri terrores juxta eoſdem habebant conjunctam *ſpem veniæ*, ut ſtatim oſtendimus, non item falſi terrores deſperantium.

IV. Veri terrores Lutheranis erant non *naturalium virium*, *ſed Spiritus ſancti cor noſtrum efficaciter moventis opus* prout ex Luthero, ejuſque aſſeclis oſtendi Xenij pagina 38. falſos autem terrores Cain, Judæ &c. nunquam docuerunt eſſe ſupernaturales.

V. Veri

V. Veri terrores, Lutheranorum judicio, conplectebantur propoſitum vitæ novæ, uti comprobavi Xenij pagina 36. quod propoſitum falſis deſperantium terroribus minimè continebatur.

Ex quibus patet non eſſe omninò veram doctrinam illam P. Le Dent, quod juxta Lutheranos *pœnitentia Petri à pœnitentia Iudæ non differebat penes Contritionem, ſed tantùm penes alteram pœnitentiæ partem.* Siquidem prout jam probatum eſt, pœnitentiam Petri à pœnitentia Judæ diſtinguebant, ſicut veritatem à falſitate, opus ſupernaturale à non ſupernaturali &c. quæ diſtinctio *intrinſeca* eſt, ut ſic loquar, & non tantùm penes alteram pœnitentiæ partem. num. 85.

Opponit quidem Adverſarius Philippum Melanchtonem ſcribere: *fidem oſtendere diſcrimen inter Contritionem Iudæ & Petri*, & inde concludit Pœnitentiam Petri à pœnitentia Judæ non differre penes Contritionem, ſed tantùm penes alteram Pœnitentiæ partem.

Verùm fateor me non percipere vim hujus conſequentiæ: poteſt enim conſiſtere *fidem oſtendere diſcrimen inter Contritionem Iudæ & Petri*, quamvis Contritio Judæ & Petri multis alijs nominibus differant. Ecce ſimilem fallaciam: *valor Abſolutionis oſtendit diſcrimen inter Attritionem ſalutarem, & non ſalutarem: ergo Attritio ſalutaris & non ſalutaris non differunt niſi penes alteram Pœnitentiæ partem.* Item. *Spes veniæ oſtendit diſcrimen inter Pœnitentiam Iudæ & Petri*: legitimenè concludam: *ergo Pœnitentia Iudæ & Petri non differunt niſi penes Spem veniæ*?

Quartum discrimen inter ſuam, Lutherique Contritionem ſic explicat: Lutherani volebant *terrores eſſe diſpoſitionem immediatam & ultimam, ſic ut ſolâ fide accedente peccator iuſtificaretur*: hoc de Attritione ſervili nullatenus dicendum eſt. Ergo &c.

Neſcio, quâ ſuffragante fortunâ factum fuerit, ut nullum diſcrimen occurreret Adverſario, quod non perinde nos à Lutherana peſtilentia ſepararet. Ecce enim nos eodem jure ſeparatos: Lutherus *primam contritionem* volebat *eſſe diſpoſitionem immediatam & ultimam, ſic ut ſolâ fide accedente peccator iuſtificaretur*: hoc autem de Contritione noſtra omninò negamus. Ergo &c.

Vides ejuſdem prorſus rationis argumentationem. Antecedentis porrò veritas tam manifeſta eſt, quàm quid manifeſtiſſimum. Cùm enim Lutherus Aſſertionem articulorum damnatorum ſcribebat, ſimul etiam aſſerebat ſolam fidem juſtificare, ac per conſequens docebat Contritionem ſic eſſe diſpoſitionem, ut ſolâ fide accedente peccator juſtificaretur.

Clarum

Clarum hoc eſt legenti aſſertionem articuli primi apud Joannem Fiſſcherum, in qua Lutherus probans ſacramenta novæ legis non dare gratiam illis, qui non ponunt obicem, concludit: SOLA ERGO FIDES JUSTIFICAT, *ut prædicta authoritates probavère.* Et infrà: *nos autem dicimus, nec novi, nec veteris Teſtamenti ſacramenta, ſed* SOLAM FIDEM *iuſtificaſſe, ſicut Paulus dicit: iuſtus ex fide ſua vivet.* Quare Lutherus non plus adſcribit Contritioni ſuæ primæ, quàm excogitatis poſteà terroribus. Unde diſcrimen illud, vel Adverſario nihil ſuffragatur, vel nobis eodem jure patrocinatur.

Quamquam ſi res penitiùs examinetur, fortè non deerit, qui diſcrimen magis intimum & *ſubſtantiale* deſideret ab oppoſitæ ſententiæ authoribus. Enim verò quartum hoc diſcrimen magis ab effectu & conſequentibus petitur, quàm ab ipſa rei ſubſtantia. Poteſt enim fieri quod prima pars pœnitentiæ Lutheranæ dicatur non differre in ſubſtantia ab Attritione ſervili, quamvis diversâ ratione diſponat ad juſtificationem. Quòd quidem exemplo familiari elucidare quis poſſet.

Fatemur eumdem eſſe Baptiſmum in *ſubſtantia* apud hæreticos & Catholicos, quamvis interim hæretici adſcribant juſtificationem ſoli fidei juſtificanti. Quid ſi ergo aliquis affirmet etiam Lutheranos terrores & Attritionem ſervilem idem eſſe in ſubſtantia, quamvis Lutherani juſtificationem ſoli fidei adſcribant & non Catholici. Quapropter aliquid plus lucis videtur hîc poſſe deſiderari.

§. 5. *Vtrum præſtitum fuerit, quod exegerat P. Le Dent circà terrores Lutheranos?*

OPpoſueram in quæſtione quodlibetica terrores Lutheranos neſcio quid affine habere cum Attritione ſervili, verùm P. Le Dent putavit ab illa ſocietate tam facilè ſe expedire, quàm *pyrum vulpes comeſt.* Terrores enim intellexit ab omni dolore & vitæ novæ propoſito alienos. Unde monens me officij mei in tractatu de Attritione numero 173. *Fateor,* inquit, *Lutherum admiſiſſe terrores: hinc tamen non infertur docuiſſe noſtram ſententiam.* OSTENDERE DEBEBAT *Author Quodlibetica, quòd Lutherus alicubi docuerit in Sacramento Pœnitentiæ ad iuſtificationem ſufficere* DOLOREM *de peccatis, &* PROPOSITUM *vitæ novæ ex ſolo motivo timoris gehennæ.*

Jam verò in Xenio Theologico apertiſſimè oſtendi pag. 35. & 36.

36. Lutheranos terroribus ſuis intellexiſſe etiam dolorem de peccatis, & propoſitum vitæ novæ, nec diffitetur Adverſarius ſcribens in Reſponſione numero 83. *hoc igitur etiam inter nos convenit admiſſum poſtea à Lutheranis fuiſſe dolorem de peccatis.* Quod ipſum ibidem concedit de propoſito vitæ novæ.

Credideram itaque me oſtendiſſe, quod oſtendere debueram. Quid enim illud erat? Lutherum docuiſſe ad juſtificationem ſufficere *dolorem de peccatis & propoſitum vitæ novæ ex ſolo motivo timoris.*

Hoc autem à me oſtenſum erat, quandoquidem fatente Adverſario oſtenderam Lutherum ejuſq; Diſcipulos per terrores etiam intellexiſſe dolorem de peccatis, & propoſitum vitæ novæ. Plus à me non exegerat, exiſtimabam proinde obligatione meâ me exſolutum.

Verum adverſarius videns oſtenſum eſſe, quod præciſè exegerat, aliò ſe convertit, & longè plura, quàm ab initio requirit. Videns enim præter expectationem ſuam jam manifeſtè demonſtratum eſſe, à Luthero, ejuſque Aſſeclis terrorum nomine intelligi dolorem de peccatis, & propoſitum vitæ novæ, aliò ſe confert, & eas conditiones poſtulat, de quibus ne hilum quidem anteà propoſuerat. Juvabit illum audire: OSTENDERE DEBUERAT Author Xenij, *quod vel Lutherus, vel Confeſſioniſtæ rejectâ priore ſententiâ docuerint dolorem de peccatis ex motivo metus gehennæ, unà cum ſpe veniæ, & propoſito non peccandi de cætero, per quæ poſitivè excludatur omnis voluntas peccandi, ſufficere cum ſacramento Pœnitentiæ ad iuſtificationem vi operis operati ipſius ſacramenti ſine quo nullo modo haberetur reconciliatio.* Num. 84.

Oſtendere debueram? omninò, ſi conjector Oedipus fuiſſem, & divinare potuiſſem ſermonem eſſe *de ſpe veniæ, excluſione voluntatis peccandi, opere operato &c.* quorum omnium ne iota quidem propoſitum fuerat. Sic enim locutus fuerat: *oſtendere debuerat, quod Lutherus alicubi docuerit in ſacramento Pœnitentiæ ad iuſtificationem ſufficere dolorem de peccatis & propoſitum vitæ novæ ex ſolo motivo timoris gehennæ.* Num. 173.

Quamobrem *potiori iure*, quàm Adverſarius poſſem dicere mihi tales non eſſe oculos, ut videre queam, quod geſtat in animo & non exprimit calamo. Corda & renes ſcrutatur Dominus: ego propoſitis mihi terminis inſtiti, quod poſtulabatur præciſè præſtiti, & ad occultas & fortè tum temporis nondum natas animi cogitationes, ſcriptionem meam non direxi.

Dixi *potiori iure.* Fallitur enim putans me diverſiſſimum quid à Tridentino oppoſuiſſe, dum ad SS. Patrum pœnitentiam me retuli. Tridentinum Capite 2. ſeſſ. 14. in quo verſabar diſertè ſe refert ad SS. Num. 72.

Patrum

Patrum pœnitentiam, undè à Tridentini peripheria non aberrabant quando eodem me referebam. *At*, inquit, *aliò reſpexiſſe me fateor.* Diſtinguo Rde. Pater: aliò, quàm debueram, vel quàm reſpiciat Tridentinum, Nego. Aliò quàm putaverat V a. P tas· Concedo.

Verùm ut revertar ad provocationem factam, & novos limites probationis mihi præſcriptos, dico Lutherum in poſteriore ſuâ ſententiâ requiſiviſſe ſpem veniæ, & quia in veſtra ſententia ſpes veniæ, & timor gehennæ poſitivè excludunt voluntatem peccandi, non defuturos, qui affirment terroribus Lutheranis poſitivè excludi voluntatem peccandi: Quod ipſum fortaſſis colligent ex eo, quod Lutherani docerent peccatorem veris terroribus *ſeriò dolere* de peccatis, quod ſine excluſione voluntatis peccandi non videtur poſſe intelligi.

Quod adfertur de opere operato nihil facit ad præſens negotium, quia diſcrimen illud pertinet ad effectum partis Pœnitentiæ, non ad ipſam ſubſtantiam primæ partis Pœnitentiæ. Sicut ex eo, quod hæretici negent opus operatum in Baptiſmo, perperam quis intulerit ab illis tradi materiam Baptiſmi à noſtra diverſam in ſubſtantia.

Ut autem tollatur omnis cauſa de plauſtro, ut ajunt, loquendi, propono Adverſario eaſdem conditiones, eaſdem probandi leges, ipſiſſimis eiſdem terminis immutatis conceptas, quibus me provocat. Quid enim æquius, quàm ut patiatur leges, quas tulit. Sic igitur propono. *Oſtendat P. Le Dent quod Lutherus in priore ſua ſententia docuerit dolorem de peccatis, unà cum ſpe veniæ & propoſito non peccandi de cætero, per qua poſitivè excludatur omnis voluntas peccandi; ſufficere cum ſacramento Pœnitentiæ ad iuſtificationem vi operis operati ipſius ſacramenti ſine quo nullo modo haberetur reconciliatio.*

Oſtendat hæc Lutherum docuiſſe in priore ſuâ ſententiâ, & herbam victori lubens porrigam, ſin verò non potuerit, deſinat ſcribere noſtram eſſe ipſiſſimam Lutheri ſententiam.

Atque hæc de Lutheri mente ſufficiant, de quibus nihil ſcripſiſſem, ſi ad ſcribendum objecto Lutheranę ſententię nomine ſtimulatus non fuiſſem: jam verò inivi conſilium, quod ille apud Saluſtium: *non placuit reticere, ne quis modeſtiam in conſcientiam duceret.*

CAPUT SECUNDUM.

Utrum Attritio ſervilis poſitivè excludat voluntatem peccandi?.

VEriſſimè ſcriptum eſt ab Auguſtino, neminem ſic locutum eſſe, ut ab omnibus intelligeretur. Vereor enim ut Author Reſponſionis ſatis aſſecutus fuerit, quæ circà excluſionem voluntatis peccandi à me ſcripta ſunt. Quare dabo operam, ut quàm fieri poterit clariſſimè & breviſſimè, doctrinæ à me traditæ ſenſum aperiam.

§.I. *Status præſentis quæſtionis dilucidè proponitur.*

OBſervet Lector poſitivam alicujus rei excluſionem dupliciter poſſe contingere, ſcilicet mediatè & ut ità dicam *cauſaliter*, vel immediate, & quodammodò *formaliter*.

Cauſaliter ſeu mediatè excludere eſt aliquid cauſare quo mediante habetur excluſio alterius. Hoc ſenſu Sol dicitur excludere tenebras ab aere noſtro, quia cauſat in aere noſtro lumen, quo mediante excluduntur tenebræ.

Formaliter, ſeu per ſe, & immediatè aliquid excludere, eſt nullo mediante & ſeipſo aliquid excludere & non pati in ſubjecto. Hoc ſenſu lumen excludit formaliter tenebras ab aere, viſus cœcitatem ab oculo &c.

Eodem modo dicendum eſt aliquam voluntatem poſſe dupliciter dici efficacem, ſcilicet *cauſaliter* & *formaliter*.

Voluntas cauſaliter efficax dicitur illa, quæ cauſat & efficit aliquid, quo mediante fit illud propter quod datur. Hoc ſenſu pius motus fidei poteſt dici efficax reſpectu excluſionis peccati, quia poteſt cauſare amorem Dei ſuper omnia, quo mediante excluditur voluntas peccandi.

Voluntas formaliter efficax dicitur illa, quæ nullo alio mediante per ſeipſam, & ut ità loquar *in genere cauſæ formalis* præſtat illud propter quod datur. Hoc ſenſu amor Dei ſuper omnia dicitur efficax reſpectu excluſionis peccati, quia per ſeipſum nullo mediante excludit, & removet ab anima affectum peccati mortalis.

Status ergo præſentis quæſtionis circa hunc cardinem verſatur, u-

trum Attritio ſervilis formaliter & ſeipsâ immediatè excludat voluntatem peccandi, ſive utrum ſit voluntas formaliter efficax reſpectu excluſionis peccati? Quod enim Attritio ſervilis poſſit cauſaliter excludere voluntatem peccandi, & eſſe voluntas cauſaliter efficax introducendo amorem Dei ſupèr omnia, ſicut apud Auguſtinum ſeta introducit linum, non diffitemur.

§. II. *Quænam ſit Legitima ratio cur amor Dei ſuper omnia poſitivè excludat voluntatem peccandi?*

RAtionem claram & manifeſtam hujus veritatis propoſueram in Xenio paginâ 48. Voluit tamen Adverſarius pleno meridiei offundere tenebras, quodque apud Horatium legitur: *& ſtellis nebulas ſpargere candidis*. Quas nebulas facili negotio diſpuliſſet, ſi (uti poterat) voluntatem abſolutam à ſimplici velleitate diſcernere voluiſſet. Ut ut ſit, parum id mihi curæ eſt, quandoquidem non diffiteatur rationem à me prolatam legitimè concludere, ſi his verbis exprimatur:

Qui habet amorem Dei ſuper omnia Deum ſummè æſtimat, ſeu præfert omnibus in quibus peccaretur mortaliter: qui autem peccat mortaliter Deum interpretativè contemnit, ſeu alicui poſtponit. Atqui fieri nequit, ut idem omnibus præferatur, & ſimul illorum alicui poſtponatur. Ergo &c.

§. III. *Utrum eodem argumento probetur timorem gehennæ excludere poſitivè voluntatem peccandi?*

AFfirmat P. Le Dent, verùm reclamat manifeſta veritas ob ſubjunctas rationes.

num. 146. PRIMÒ, ut eodem argumento probaretur timorem gehennæ poſitivè excludere voluntatem peccandi oporteret in timore aliquid reperiri, quod ſummè æſtimaretur, & præferretur omnibus, ſicut in argumento propoſito reperiebamus. Quæro igitur quid illud ſit? Deus, an creatura? ſi Deum dixeris, jam benevolum Dei propter ſe amorem requiris. Quid enim aliud eſt Deum ſummè æſtimare, & omnibus præferre niſi Deum propter ſe amare? ſi creaturam dixeris ſummè æſtimari, & omnibus præferri, ſecurè pronuntio talem timorem in peccato eſſe, nedum voluntatem peccandi excludere. Cum enim

Mat-

Matthæi 10. v. 37. veritas dicat: *qui amat Patrem, vel matrem pluſquam me non eſt me dignus: & qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus*, certiſſimum eſt, quod ille non foret dignus Chriſto, qui creaturam ſummè æſtimaret, & omnibus præferret, etiam ipſi Chriſto. Unde iterum Chriſtus Matthæi 12. v. 31. *benè Magiſter cum veritate dixiſti, quia unus eſt Deus, &* NON EST ALIUS *præter eum, ut diligatur ex toto corde.*

Secundò, timor pœnæ ex amore ſui cauſatur, quatenus Pœna eſt detrimentum propij boni: ſecundum autem doctrinam Auguſtini libro 14. de civit. cap. 7. affectio, quæ naſcitur ex amore ſequitur naturam & indolem amoris ex quo naſcitur. Jam verò argumento propoſito nullâ ratione probari poteſt amorem ſui excludere poſitivè voluntatem peccandi, nec enim valebit quiſquam dicere amorem ſui, quo quis ſeipſum ſummè eſtimat, & omnibus præfert, eſſe laudabilem virtutis fœtum. Ergo &c.

Tertiò, omnis amor Dei ſuper omnia excludit affectum, ſeu voluntatem peccandi. Rogo, an ſimiliter omnis timor gehennæ excludat voluntatem peccandi? ſcio non affirmaturos. Quis igitur timor gehennæ excludit voluntatem peccandi? an ille quo pœna gehennæ timetur ſuper omnia? atqui ille perverſus eſt, & contrà honeſtatem juxta doctrinam Theologorum, & inter ceteros R. P. Franciſci Suarez. An certa intenſio timoris requiritur? quæ obſecro illa? Aut unde conſtare poterit confeſſuro, quod ad illam intenſionem pertigerit? ſed & cur intenſiſſimus actus timoris gehennæ voluntatem peccandi non excludit, intenſior autem excludit? Diſp 1 de Spe ſect. 4.

Apparet igitur ſummam diſparitatem eſſe inter amorem Dei ſuper omnia, & timorem gehennæ.

§. IV. *Examinatur argumentum, quod opponit P. Le Dent.*

SIc argumentatur: *qui habet actum timoris de quo agimus, cognoſcit pænas gehennæ graviſſimas eſſe ac æternas, eaſque ſive earum periculum incurri per mortale quodcumque: novit etiam difficultatem, quæ eſt in obſervatione mandatorum Dei, nullam eſſe, ſi conferatur cum pœnis gehennæ; quare eligit illam difficultatem tranſitoriam potiùs aſſumere, quàm gehennam ſeu eius periculum incurrere, atque adeo evitationem gehennæ & periculi præfert carentiæ difficultatis tranſitoriæ,*

riæ, quæ eſt in obſervatione præceptorum. Quod ſi autem ſtante tali actu peccaret mortaliter, iam evitationem difficultatis repertæ in obſervatione mandatorum præferret evitationi gehennæ, eiuſve periculi, atque adeo hoc interpretativè contemneret. Atqui certum eſt non poſſe idem omnibus præferri, & ſimul non præferri, ſeu poſtponi ac contemni: Ergo &c.

Prolixum ſanè argumentum, circuitus & ambages multæ, ut veritas tam evidens probaretur. Ego tribus verbis poſtulo, quid omnibus præferatur in caſu poſito? Deus, an creatura? ſi Deus, adeſt amor Dei. Si creatura, adeſt peccatum, ut anteà demonſtratum eſt. Atqui profectò, ut paritas ſit argumenti, oportet aliquid aſſignari, quod omnibus præferatur abſque ullâ exceptione, aliàs enim, ſi vel minutiſſimam admittis exceptionem, non tantùm latentem rimam; ſed & patentem habebis januam, quâ intret voluntas peccandi.

Verùm propius accedendo ad involucrum argumenti propoſiti, affirmo manifeſtam petitionem principij in eo contineri. Quod itâ oſtendo: ſupponit, quod intra ſphæram ſolius timoris gehennæ ſiſtendo poſſit quis aſſumere, vel eligere (cum effectu utique) difficultatem tranſitoriam, quæ eſt in obſervatione præceptorum (utique omnium) atqui hoc illud ipſum eſt de quo inter nos controverſia eſt, &, etiamnum nego. Quid enim ſibi vult prolixa illa paraphraſis ad fallendum incautos idonea: *aſſumere difficultatem tranſitoriam, quæ eſt in obſervatione præceptorum omnium*? idem ſanè, *quod obſervare omnia præcepta*, ſeu legem implere?

Declaro. Aſſumere (cum effectu) difficultatem obſervandi præceptum jejunij, quid eſt aliud, quàm obſervare præceptum jejunij? Item. Aſſumere cum effectu difficultatem tranſitoriam viſitandi Amicum, quid eſt aliud, quàm viſitare amicum?

Proinde prodit ſe fucus Argumenti propoſiti: pro conceſſo enim aſſumit omnia præcepta divina poſſe obſervari & legem impleri ex adæquato & ultimato motivo timoris, abſque ulla Dei propter ſe dilectione, quòd abſolutè nego.

Atque, ut evidentius appareat vanitudo hujus argumenti, proponamus nobis peccatorem in extremo vitę diſcrimine deſtitutum omni ſolatio & ſpe Abſolutionis Sacramentalis, ac proinde teneri ad Dei propter ſe amorem: ſtatuamus inſuper eumdem affectum illo timore gehennæ de quo in argumento: amabo, poterit ille aſſumere (cum effectu) difficultatem tranſitoriam quæ eſt in obſervatione præceptorum omnium, atque ità primum & maximum mandatum abſque

Charitate,

Charitate implere ex ſolo, adæquato, & ultimato timoris motivo? Quod ſi dicas urgere tum præceptum amandi Deum, fatebor, ſed ſimul aſſeram in ſacramento reconciliationis urgere præceptum amandi Deum: negabit Adverſarius: ergo jam conteſtamur, & in illâ conteſtatione partem negativam, ſcilicet non eſſe præceptum amoris Dei in ſacramento reconciliationis, ſupponit Adverſarius, niſi enim hoc ſupponat non magis concludit argumentum, quàm in caſu neceſſitatis externæ, de quo anteà. Proindè ſupponit aliquid de quo conteſtamur, & controvertimus. Ergo etiam ex eo capite habetur pro conceſſo, quod non eſt conceſſum.

§. V. *Examinatur palmare argumentum P. Le Dent.*

PLurimum momenti ſtatuit in hoc argumento: *is, qui habet actum Spei (*qualem requirit*) per fidem cognoſcit quantum ſit bonum beatitudinis æternæ, & quàm exiguum ac prope nullum ejus comparatione ſit bonum quodcumque utile ac delectabile tranſitorium hujus vitæ. Cognoſcit autem certâ fide illi cœleſti & æterno bono conſequendo obſtare perceptionem cujuſcumque boni utilis vel delectabilis ſub mortali prohibiti. Hâc conſideratione motus* STATUIT FIRMITER ET ABSOLUTE *jam & in futurum ex parte ſuâ nullum opponere impedimentum per quod æternum bonum amitteret, vel amittendi periculo ſe exponeret: & ſicut ante per intellectum, ità quoque nunc per actum voluntatis* OMNIA BONA *tranſitoria, quæ ſine mortali obtineri nequeunt* POSTPONIT *ſummo illi ac æterno felicitatis bono, quod* PRÆFERT *illis omnibus. Et hoc ſufficit in eo, qui juſtificatus eſt. Quod ſi autem ſtante actu jam dicto talis de facto peccaret mortaliter in quacumque demum peccati ſpecie, jam beatitudinis conſecutionem poſtponeret bono utili aut delectabili tranſitorio, illamque interpretativè contemneret, quandoquidem actualiter cognoſcat quovis mortali jus ad beatitudinem deperdi. Subſumo cum Authore Xenij. Atqui clarum eſt non poſſe idem omnibus præferri, & ſimul eorum alicui non præferri &c.* Num. 143.

Fictilis hujus argumenti machina comminuitur negando categoricè, quod poſſit quis abſque Dei propter ſe dilectione *ſtatuere firmiter & abſolutè ex parte ſuâ nullum opponere impedimentum per quod æternum bonum amitteret, vel amittendi periculo ſe exponeret.* Quid enim affectata illa circumlocutio aliud ſignificat, quàm habere propoſitum

poſitum ſervandi mandata divina, & non peccandi mortaliter? Jam verò *propoſitum ſervandi mandata divina* DILECTIO DEI SUPER OMNIA *videtur, aut certè non eſſe ſine illa*, prout oſtendi Xenij pag. 25. ex Andrea Vega, ad cujus authoritatem provocatum fuerat. Supponitur ergo in præmiſſis argumenti aliquid æquè incertum & controverſum, quàm ſit concluſio, quæ infertur.

Sed & alteri fundamento fluxo & inani incumbit tota moles hujus argumenti. Siquidem pro veritate conceſsâ aſſumit poſſe citrà Dei dilectionem *omnia bona tranſitoria &c poſtponi ſummo ac æterno felicitatis bono* (quod eſt Deus ipſe) *& præferri illis omnibus*, utique abſque ullâ exceptione, ne pateat aditus voluntati peccandi, ſi vel unam creaturam excipias cujus nimio amore poſſit mortaliter peccari.

Verum illa hypotheſis partim admittit, quod prætendo, partim continet doctrinam à veritate & communi ſenſu alienam.

Admittit quod prætendo, dum ad excluſionem peccati requirit, ut omnia bona temporalia poſtponantur Deo. Item, ut Deus omnibus illis bonis præferatur. Ego nihil aliud prætendo. Unde videor mihi jure merito poſſe dicere cum Auguſtino. *His ergo auditis, quid niſi Chriſto gratias agam, qui coegit hominem confiteri.* Ac propterea utinam populo è ſuggeſtu abſque ullo gloſſemate proponeretur hæc

l. 3. cont. peril. c. 52. doctrina: *ad excluſionem peccati requiri, ut omnia bona temporalia poſtponantur Deo, & Deus omnibus illis præferatur.* Ego illi doctrinæ facilè acquieſcerem, neſcio, utrum nonnullorum amor proprius charitatis ſemper inimicus perinde acquieſceret.

Quod autem prædicta hypotheſis contineat doctrinam à veritate & communi ſenſu alienam, mihi manifeſtum eſt. Contendit enim omnia bona temporalia poſſe Deo poſtponi, & Deum illis omnibus præferri, omnibus, inquam, ſine exceptione, etiam proprijs commodis operantis, imò ipſi operanti, abſque ullo divinæ dilectionis calore. Quod à veritate inprimis alienum eſt: quid enim eſt per actum voluntatis (de illo enim agitur non de judicio quodam ſpeculativo) Deum omnibus præferre niſi Deum præ omnibus & ſuper omnia, quæ poſtponuntur diligere? Actus ille voluntatis utique eſt quoddam velle: ergo, qui ſic affectus eſt, vult Deum præ omnibus: velle Deum præ omnibus, quid eſt, obſecro niſi amare Deum præ omnibus?

Quod autem hoc ſit à communi ſenſu alienum perinde facilè oſtenditur. Omnes enim ſibi perſuadent ſe adimplere illud mandatum

mag-

magnum in Legè: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.* quandò per affectum voluntatis omnes creaturas Deo poſtponunt, & Deum omnibus præferunt. Nec aliter Theologi mandatum illud intelligunt, ut Bellarminus lib. 1. de amiſſ. grat. cap. 52. qui docet illo præcepto contineri, ut *nihil Dei amori anteponatur vel adæquetur*, & lib. 2. de Monachis. cap. 13. *ſolum ut amemus Deum præcipuo amore, nihilque illi in amore anteponamus, vel æquemus.* Et Martinus Becanus de merito cap. 4. num. 30. *ut Deum præferamus rebus aliis, ut nullius rei amorem Dei amori anteponamus &c.* Atque hoc eſt, quod paſſim vocant Deum appretiativè ſuper omnia diligere. Quæ omnia continentur in eo quod Spei attribuit Adverſarius, ut patebit conſideranti.

Abſit proinde ut iſtiuſmodi Spem vocemus mortuam, & vitali divini amoris calore deſtitutam: quidquid enim dixeris non poteſt non vivere Spes illa, quæ voluntatis affectu Deum præfert & præponit omni creaturæ.

Verùm audire lubet, quâ ratione doctrinam ſuam ſtabiliat Scriptor ille: *cum*, inquit, *ſine illo Dei amore ex duobus bonis ferè æqualibus homo poſſit unum alteri præferre, ſive hoc velle præ illo, idque ſive comparatio fiat inter duo bona licita, ſive inter illicita: quâ ſpecie veritatis dici poſſet, quod nequeat ſummum ac interminabile bonum malle, ſeu præferre* PAUCIS *quibuſdam & exiguis bonis tranſitoriis, in quorum electione peccaretur mortaliter?* num. 144.

At at aberramus à ſcopo. Dictum fuerat per Spem *omnia bona temporalia poſtponi Deo & Deum omnibus præferri.* Jam verò probatio loquitur de *paucis quibuſdam & exiguis bonis tranſitoriis.* Aliquantùm differunt *omnia*, & *pauca bona tranſitoria.*

Ceterùm nullius momenti eſt, quæ urgetur conſequentia: nec enim mirum eſt, quod bonum tranſitorium poſſim alteri tranſitorio præferre ſine amore Dei, quia Deus non eſt objectum iſtius præferentiæ: at verò quandò Deus præfertur omni creaturæ, etiam ipſi homini, etiam amori quo homo ſeipſum diligit, Deus eſt objectum talis præferentiæ.

§. VI. *Examinantur quædam reſponſa, quæ data fuerant argumentis Patris Le Dent.*

DIxeram imprimis Actum Spei & timoris poſſe excludere voluntatem peccandi, ſed non immediatè ſeu ſe ſolo, ſed tantum accedente actu dilectionis Dei,

At opponit eodem jure ſe dicturum amorem, quem in Attritione requiro non excludere ſe ſolo voluntatem peccandi, ſed tantùm mediante actu aliquo Charitatis perfectiſſimo.

Poſſet quidem hoc P. Le Dent dicere, ſed & veritas contradicere, ut Auguſtini phraſi loquar. Ex dictis enim clarum eſt ad excluſionem voluntatis peccandi ſufficere caſtum Dei amorem quo Deus omnibus abſque exceptione præferatur. Neque ad hoc requiritur perfectiſſimus, ſufficit ſi ad dictam perfectionem pervenerit.

Aſſerueram inſuper in argumento oppoſito contineri petitionem principij. Perſiſto autem in eadem aſſertione, & dico palpabile eſſe, quod in argumento, quo probat Attritionem ſervilem excludere voluntatem peccandi, contineatur petitio principij. Quod ut ſole meridiano ſplendidius fiat obſervo ex Ariſtotele libro 8. Topicorum, quod inter quinque modos quibus petitur principium primus ſit, quem & clariſſimum eſſe ait, quandò quis petit; ipſum ſibi concedi, quod probandum illi erat. Videamus utrum adverſarius nihil petat
Num. 55. ſibi concedi, quod ipſi probandum erat. Sic autem argumentatur: dari poteſt deſiderium alicuius boni creati ſic efficax ut inferat poſitionem omnium eorum, quæ ad illius conſecutionem neceſſaria ſunt, adeòque & omiſſionem illorum, quæ illius conſecutionem vel impedirent, vel periculo exponerent. Ergo dari poteſt deſiderium vitæ æternæ, quod excludat omnem voluntatem peccandi.

Conſequentia clara eſt, quia medium ad conſecutionem beatitudinis certam, ſeu ſine periculo excidendi, eſt abſtinere ab omni mortali tam interno, quàm externo.

Simile argumentum habet num. 76. ubi ponit quod ad non exponendum ſe periculo excidendi gloriâ, medium ſit non peccare peccato quocumque.

Porrò in hoc argumentandi genere contineri petitionem principij ſic oſtendo: quando in illis argumentis ſermo fit de medijs ad conſecutionem beatitudinis certam neceſſarijs, vel inter illa media amor Dei propter ſe comprehenditur, vel non comprehenditur; ſi fateatur comprehendi, non eſt quod ultrà requiram: ſi autem neget amorem Dei propter ſe comprehendi inter media, quæ ad ſalutem &c. ſunt neceſſaria, per conſequens vult ſibi concedi, quod amor Dei propter ſe non ſit unum ex medijs ad ſalutem &c. neceſſarijs. Hoc eſt dicere vult ſibi concedi concluſionem de qua diſputamus. Hoc enim eſt de quo diſputamus utrum amor Dei propter ſe ſit medium ad ſalutem &c. neceſſarium. Ego affirmo, ipſe negat, quare dum hoc

vult

vult ſibi concedi,quid aliud,obſecro,petit, quàm ipſum principium Diſputationis, quod illi probandum erat, pro conceſſo haberi?

At, inquit, in toto diſcurſu quo probavit Attritionem ſuam neceſſariò excludere peccatum nullibi ſupponit talem Attritionem cum ſacramento ſufficere.

Omninò Rdc. Pater. Quandò ſupponis amorem Dei propter ſe non eſſe medium ad ſalutem &c. Neceſſarium, conſequenter etiam ſupponis Attritionem gehennalem cum ſacramento ſufficere.Si enim amor Dei non ſit medium ad ſalutem neceſſarium,evidens eſt quod Attritio veſtra ſufficiat cum Sacramento, ne dicam etiam ſine Sacramento.

Concludo igitur argumento propoſito ad ſummum probari,quod aliquis timor gehennæ cauſaliter & mediatè inferat media ad ſalutem &c. neceſſaria,ſed intactum & examinandum relinqui, utrum amor Dei non ſit unum ex medijs ad ſalutem neceſſarijs? De formali porrò excluſione peccati nihil prorſus convincit.

Quod ſi fortaſſis dicat amorem Dei eſſe medium ad ſalutem &c. neceſſarium, ſed ſuo tempore & extra Sacramentum,non autem in Sacramento.

Contrà. Ergo vult concedi quod inter nos controvertitur: ego enim affirmo amorem eſſe medium ad ſalutem neceſſarium, etiam in Sacramento, ille contradictorium ſupponit. Ergo vult ſibi concedi principium, quod illi nunquam largiar.

Quod ſi dicat ſe hoc alicubi probaſſe.Ergo jam aliò recurrit. Ergo argumento petito ab efficaci excluſione peccati nihil concluditur, ac proindè omittatur.

Declaro. Nonne potuit Deus amorem ſuî præcipere peccatori, qui vellet ſibi reconciliari per Sacramentum Pœnitentiæ. Illo caſu poſito, quæro an Attritio ſervilis poſitivè excluderet voluntatem peccandi in Sacramento Pœnitentiæ? Affirmarè nemo poteſt niſi cui cerebrum foret in lingua. Dicendum igitur, quod Attritio ſervilis tali caſu non excluderet voluntatem peccandi. Sed unde conſtat argumentanti, quod jam actu & de facto non verſemur in caſu propoſito? unde conſtat (ſiſtendo intrà ſphæram excluſionis peccati) Deum non præcepiſſe ſuî amorem in Sacramento Pœnitentiæ? Ego enim conſtantiſſimè id affirmo, ipſe non tantùm negat, ſed & pro fundamento ſuæ probationis ſupponere debet, niſi velit ridiculè argumentari. Ergo iterum petitio principij. Atque hæc mihi videntur tam evidentia, quàm mihi manifeſtum ſit me vivere, dum hæc ſcribo.

Quod ſi iterum dicat alibi ſe probaſſe non eſſe tale præceptum diligendi Deum in ſacramento Pœnitentiæ. Optimè. Ergo argumentum ab efficaci excluſione peccati tantiſper dormiat, donec accuratè examinaverimus diverſam illam probationem, quâ concluditur, Deum in ſacramento Pœnitentiæ non præcepiſſe ſuî amorem. Quem in finem, hunc, nî fallor, peremptorium ſyllogiſmum propono: argumento ab efficaci excluſione peccati nihil concluditur niſi ſupponendo quod Deus non præceperit amorem ſuî in ſacramento Pœnitentiæ: atqui hoc non poteſt ſupponi ſine manifeſta petitione principij, ego enim affirmo, ipſe negat, Ergo argumento ab efficaci excluſione peccati nihil concluditur. Satin clarè?

Quædam leviora objicit P. Le Dent, quæ paucis confutanda ſunt.

Opponit itaque num. 158, Non video quomodò negari poſſit dari actum efficacem eâ efficaciâ de qua agimus, qui tamen non ſit amor Dei; niſi quis fingat nullum dari actum efficacem, niſi qui ſit actus amoris Dei, adeoque non poſſe inter duo graviter prohibita unum efficaciter alteri præferri.

Verùm interrogo, quid his & ſimilibus argumentis reſponderetur ſi Deus amorem ſuî in ſacramento Pœnitentiæ præcepiſſet? quod tum reſponderet, jam ſibi reſponſum exiſtimet argumentans.

Ceterum dico veriſſimum eſſe, quod nullus detur actus efficax eâ efficaciâ de quâ agimus, ſcilicet excluſionis peccati, niſi qui ſit actus amoris Dei. Hoc enim eſt ipſiſſima noſtra concluſio.

Quod additur ſecuturum *non poſſe inter duo graviter prohibita unum efficaciter alteri præferri*, miſſile telum eſt, cujus ſcopum ignoro. Agimus enim de præferentia, quâ aliquid omnibus omninò præfertur. Vultne igitur aliquid graviter prohibitum poſſe licitè omnibus præferri?

Audiamus quid ulteriùs adferat: profectò, inquit, ſi poſſim efficaciter deteſtari peccatum, quia hoc eſt malum Dei, cur non potero illud ipſum efficaciter deteſtari, quia mihi malum eſt?

S. Auguſtinus amorem Dei & amorem ſuî ſolet opponere, hoc argumentum vult componere, & in eodem parallelo conſtituere.

Reſpondeo itaque longè diverſam eſſe rationem de amore Dei & amore ſuî. Poſſum enim Deum ſuper omnia amare, non autem me ipſum, & poſſum ſuper omnia deteſtari peccatum quatenus eſt malum Dei, non item poſſum ſuper omnia deteſtari peccatum, quatenùs mihi malum eſt, aliàs enim poſſem meipſum omnibus præferre,

& in-

& incommodum meum, ſeu pœnam poſſem deteſtari pluſquam culpam, quod vitioſum eſſe ſuprà monſtratum eſt.

Ut autem efficaciter excludam omnia argumenta & tricas, quæ contorqueri poſſent, propono Patri Le Dent hanc quæſtionem: *quid reſpondendum foret omnibus argumentis, quæ ingenioſè excogitat, caſu quo Deus præcepiſſet amorem ſuî in ſacramento Pœnitentiæ?* Similiter poſſem proponere, & rogare utrum ſpes mortua excluderet voluntatem peccandi, foretque voluntas formaliter efficax in ſacramento Pœnitentiæ, ſi Deus præcepiſſet amorem ſuî in ſacramento Pœnitentiæ?

Neque dixeris idem poſſe quærî de amore Dei perfectiſſimo, quia convenit inter nos Deum non præcepiſſe amorem ſuî perfectiſſimum in ſacramento Pœnitentiæ: at non convenit inter nos Deum non præcepiſſe aliquem ſuî amorem in ſacramento Pœnitentiæ.

CAPUT TERTIUM.

An Tridentinum ſeſs. 14. cap. 4. nomine *Attritionis* intellexerit proximam diſpoſitionem ad juſtificationem?

APpoſitè ſcribit Pindarus bonum eſſe nitî duabus anchoris, quia bonum eſt duplici præſidio niti, ut ſi alterum deſtituat, altero juvemur. Quod conſilium ſecutus in Xenio dederam operam ut duabus niterer anchoris, duplicique præſidio. Nimirum oſtendi falſum eſſe, quod voluntas peccandi poſitivè excluderetur per Attritionem ſervilem, dato & liberaliter conceſſo, quod Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. ageret de proxima diſpoſitione ad juſtificationem.

Sed & inſuper oſtendi antiquiores ſcholaſticos non ſine fundamento docuiſſe Tridentino non fuiſſe ſermonem de proxima ad juſtificationem diſpoſitione. Attuli in eum finem varia argumenta & indicia ex ipſo Tridentino petita, quæ multorum judicio in unum collecta videbantur evidenter concludere. P. Le Dent vix aliud reponit & opponit quàm meam inconſtantiam.

Et ego quidem haud gravatè ſinerem inconſtantiæ me inſimulari, ſi hoc ſolùm remoraretur Adverſarium ab aſſertæ per me veritatis confeſſione: Verùm non auſim hoc ſperare. Scio enim inconſtantiæ nomi-

nomine nihil aliud, quàm pallium deficientis minùs idoneæ Reſponſionis obtrudi. Et quamquam in Xenio objectionem illam pag. 40. & 45. præoccupaveram, tamen quia non patitur ſibi ſatisfieri verbis meis, conabor efficere, ut patiatur ſibi ſatisfieri verbis proprijs.

Numero 130. ſcribit: *in argumento ad hominem (ut vocamus) aſſumi debet propoſitio in eo ſenſu quo enuntiata eſt, aliàs perperàm ſub ea ſubſumitur & concluditur:* cùm ergo argumento ad hominem petito & datâ hypotheſi, quod in Tridentino ageretur de diſpoſitione proxima aſſeruerim Tridentinum agere de poſitiva excluſione voluntatis peccandi, perperàm concludit ex propoſitione ſumpta in alio ſenſu, quàm enuntiata fuerat.

Deinde locum Tridentini ſeſſ. 6. cap. 6. *illumque tamquam iuſtitiæ fontem diligere incipiunt*, Adverſarius tribus modis commentatur, tribuſque proinde niti vult anchoris. An propterea inconſtantiæ notam in ſeipſo fatebitur? Agnoſcit Tridentinum loqui de amore benevolentiæ, ſi intelligatur de juſtificatione extra-ſacramentali: idcircòne evertit omnia, quibus anteà probaverat Tridentinum loqui de amore concupiſcentiæ? Quid ſi ſimiliter dicam Adverſarium, quod priùs operosè probaverat, uno verbo hîc deſtruere, atque *adeò parùm efficacia, vel ipſo iudice, fuiſſe argumenta*?

Num. 99. Quare, ut in negotio tam momentoſo veritati inveſtigandæ ſedulam & unanimem impendamus operam, obſecro utrimque miſſas fieri iſtiuſmodi inutiles & ad rei cardinem nihil pertinentes quæſtiones.

§. I. *Confirmatur ex principijs ipſius P. Le Dent Tridentinum non agere de proxima ad iuſtificationem diſpoſitione.*

PRIMÒ. Fatente Patre Le Dent, Tridentina ſynodus illum Contritionis modum tuetur, quem rejiciebat Lutherus. Atqui Attritio, quam rejiciebat Lutherus, non diſponebat proximè ad juſtificationem, nam Lutherus expreſsè dicit, quod Catholici vocent illam *Attritionem proximè diſponentem ad* CONTRITIONEM. Si ad Contritionem, ergo non immediatè ad juſtificationem, ſed mediante Contritione. Item. Ergo Attritio non eſt vera Contritio &c.

Reſpondet verba illa: *Attritionem proximè diſponere ad Contritionem*

tionem nihil aliud ſignificare Antiquis Theologis, quàm *Attritum accedente ſacramento juſtificari.*

Verùm quis ſibi perſuadebit Viris doctis illam à propria notitione verborum alieniſſimam ſignificationem in mentem veniſſe, quod proximè diſponere ad Contritionem ſit accedente ſacramento juſtificare? ſenſus ſanè planus & obvius eſt, Attritionem proximè diſponere ad motum Contritionis. Sicut quandò Confeſſio Catholica Lovanienſis dicit articulo 4. *præparat tamen hic terror & gehennæ metus ad veram animi Contritionem*, omnes perſuaſum habent ſignificari quod metus gehennæ præparet ad motum veræ Contritionis; nullus in animum inducet Lovanienſes nihil aliud voluiſſe ſignificare quàm timentem gehennam accedente ſacramento juſtificari. Imò contrarium inde colligent, ſcilicet peccatorem per ſolum metum gehennæ non juſtificari, ſed inſuper requiri motum veræ Contritionis.

Quod attinet ad Catholicos ſcriptores, de quibus ſcribit Lutherus quod vocent *Attritionem proximè diſponentem ad Contritionem*, fateor me nondum legiſſe Theologum, qui hoc ante Lutheri tempora expreſſis terminis docuerit: verùm, qui aliquid affine tradiderunt, de diſpoſitione ad motum Contritionis locuti ſunt. Docent enim quod Attritio intendatur & ſic fiat Contritio. *Item*, quod timor nihil prodeſſet niſi ad amorem perduceret. *Item*, quod cauſa Contritionis ſit timor. *Item*, quod Attritio introducat Contritionem & amorem, ſicut ſeta apud Auguſtinum introducit linum. *Item*, quod Attritio ob intenſionem ſucceſſu temporis fiat Contritio. *Item*, quod Attritio non poſſit eſſe Contritio niſi ſicut aer poteſt eſſe aqua, quodque Deus non infundat gratiam ratione Attritionis, ſed ratione Contritionis. *Item*, quod Attritio & Contritio non differant niſi ſecundum majus & minus. *Item*, quod in attrito per abſolutionem vivificum ſemen, ſanctum propoſitum exoritur. *Item*, interdum infundi Attrito propoſitum non peccandi virtute clavium. Hæc & ſimilia paſſim occurrunt legenti antiquos ſcholaſticos: Attritionem autem proximè diſponere ad Contritionem, quia juſtificat, nuſquam legi: imò locutiones jam allegatæ contrarium ſenſum planè innuunt.

Quod autem Author ille velit Attritionem proximè diſponere ad Contritionem eodem ſenſu, quo ſacramentum ex Attrito facit Contritum: gratis aſſeritur. Deinde plerique Antiqui docebant hominem ex Attrito fieri Contritum in ſacramento, quia docebant in ſacramento infundi novum motum Contritionis, ad quem motum Attritio poterat dici proximè diſponere. Ac per conſequens Theologi illi

motum

non docebant Attritionem proximè diſponere ad juſtificationem, ſed mediante Contritione.

Atque inprimis in illa communiſſima tum temporis ſententia, quod Attritio & Contritio non differrent niſi ſecundum intenſionem, clarum eſt, quomodò remiſſus motus Attritionis proximè diſponeret ad augendum eumdem motum in ſacramento & perducendi eumdem motum ad perfectionem Contritionis. Alij autem docebant Attritionem diſponere ad Contritionem, ſicut timor diſponit ad amorem, quem ſecundum illos Deus infundebat in ſacramento propter bonam fidem accedentis cum Attritione exiſtimatâ Contritione. In qua etiam ſententia Attritio proximè diſponebat ad motum Contritionis ac proinde non immediatè ad juſtificationem.

Quod autem addat Attritionem eſſe quamdam Contritionem virtualem, ac per conſequens in ſacramento tantùm requiri quid vicarium Contritionis, non formalem Contritionem, falſum eſt, nam prima pars ſacramenti Pœnitentiæ debet eſſe verus motus Contritionis juxta illud Tridentini ſeſſ. 14. cap. 4. *fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus neceſſarius.* Unde Canone 4. ad juſtificationem requirit tres actus Pœnitentiæ, Contritionem, Confeſſionem & ſatisfactionem.

Secundò ſic oppoſueram. Fatente Adverſario Tridentinum initio hujus ſeſſionis ſpondet exactiorem, pleniorem ac perſpicuam de hoc ſacramento definitionem: atqui non traderet exactiorem, pleniorem, ac perſpicuam de hoc ſacramento definitionem, ſi deberet intelligi de diſpoſitione proxima, quorſum enim omiſiſſet particulā *proximè*, de qua ſic controvertitur.

Huic argumento reſpondet negando, quod Tridentinum exactiorem, pleniorem, ac perſpicuam de hoc ſacramento definitionem tradidiſſet, ſi particulam *proximè* adjunxiſſet, & neſcio quibus tergiverſationibus nititur elabi. Sed fruſtrà. Clarum enim eſt, quod hâc horâ nulla foret inter me & Adverſarium de hac re contentio, ſi Tridentinum particulam *proximè* adjunxiſſet. Proinde magis exactam, plenam, ac perſpicuam definitionem tradidiſſet.

Quod addit Theologos unanimiter id vidiſſe in Tridentino, falſum eſt, maximè ſi ad tempora Tridentinæ ſynodo viciniora convertamus oculos. Sanè, non memini me legiſſe ullum iſtorum temporum Scriptorem, qui hoc doceat. Imò Dominicus Soto inſignis Theologus, philoſophus & Orator, quique Concilio Tridentino interfuit in 4. diſt. 19. q. 2. a. 6. docet *non eſſe articulum fidei, ut attriti*

per

per Sacramentum fiant Contriti. Non eſt enim expreſſa Evangelica aſſertio, aut eccleſiaſtica DEFINITIO. *Imò neque apud Auguſtinum, aliumve iſtius claſſis authorem reperitur: ſed eſt Scholaſticorum collectio, quæ quamquàm ſit vera, non tamen eſt digna, cui bilances perpetuæ noſtræ ſalutis, aut damnationis confidamus.* Ecce D. Soto dicit non eſſe Eccleſiaſticam definitionem quod Attriti per Sacramentum fiant Contriti, ſive quod idem eſt Adverſario proximè diſponere ad juſtificationem in ſacramento.

Tertiò ſic objeceram. juxta P. Le Dent dum ſynodus dicit Attritionem ad gratiam in ſacramento diſponere, loquitur eodem modo, quo ſeſſ. 6. cap. 6. ubi dicit: *diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam dum credentes timore concutiuntur &c.* Atqui ſeſſ. 6. cap. 6. non habetur, quod timor, vel dolor ex eo tamquam motivo adæquato, & ultimato proveniens proximè diſponat ad juſtificationem. Ergo.

Huic objectioni reſpondet ſe non ad ſolum timorem, ſed etiam ad ſpem, & dilectionem retuliſſe verba Tridentini.

Verùm hoc non elidit vim argumenti. Si enim ſeſſione ſextâ verum ſit timorem ad juſtitiam diſponere, quamvis tantùm remotè diſponat: quidni etiam idem dici poterit de diſpoſitione cujus fit mentio cap. 4. ſeſſ. 14.? videri poteſt hoc argumentum eleganter deductum apud Hugonem Matthoud in ſuis doctis obſervationibus ad Robertum Pullum parte 5 ad cap. 31.

Quartò ſic objeceram. Quod adfertur in Tridentino de Ninivitis tantùm adfertur ad probandum *bonitatem actus*, ut loquitur num. 226. Ergo &c. P. Le Dent reſpondet diſparem eſſe rationem, quia hanc Attritionem Synodus aſſignat tamquam ſpeciem Contritionis in genere. Verùm ego è diverſo ſic argumentor: in Tridentino quandò agitur de Pœnitentia Ninivitarum, tantùm agitur *de bonitate actus*, non autem, an ſit ſpecies Contritionis. Ergo idem ſentiendum de Attritione de qua immediatè ſermo præceſſerat.

§. II. *Quid ſentiendum de prolatis ex Tridentino indicijs?*

Quandò minus manifeſta eſt Teſtatoris voluntas ſolent inriſperiti mentem teſtatoris indicijs & conjecturis inveſtigare. Eodem conſilio mentem Tridentini circà præſentem materiam conatus fueram indicijs & conjecturis inveſtigare. Vix aliud oppoſuit Aduerſarius,

rius, quàm meam inconſtantiam, à qua, ut exiſtimo, abundè me expurgavi. Addit tamen unum argumentum Logicum, confutatione non indignum, quandoquidem eo confutato quidquid aliud opponit in nihilum occidat.

Scripſeram pag. 43. credibile eſſe Tridentinum propoſuiſſe duplicem Contritionem, quam dividit in charitate perfectam, & eam, quæ non eſt charitate perfecta, & deinde aſſignaſſe aliud genus Contritionis imperfectæ de qua hôc unum aſſerat, quod ſit motus bonus &c.

Auditâ mentione *diviſionis* illicò ad ſuam Logicam recurrit Adverſarius & numero 114. multis probat non ſervatas iri leges diviſionis Logicæ, ſi Tridentinum eo modo, quo ſuprà, interpretemur. Ac proinde me ad tribunal Dialecticæ tamquam Reum provocat, qui Patribus Tridentini diviſionem adſcribam à legibus Dialecticæ alienam.

Verùm, quia ex verbis meis tota hæc difficultas mota eſt, tamquam propriorum verborum fidelis interpres declaro mihi de diviſione Logica ne per ſomnium quidem cogitationem incidiſſe. Sciebam enim mihi negotium eſſe cum Theologo: Theologum porrò ſcrutari Scripturam, Concilia & ſanctos Patres, apud quos formalitates illæ diviſionum parùm momenti obtinent, neq; ſolere in illis ſcrupuloſè tractari de modis & inſtrumentis ſciendi, de oratione explicante naturam rei per partes &c. Eodem ergo ſenſu locutus fueram, quo Theologi illi, qui verbis Apoſtoli ad Galatas 5. *fides quæ per charitatem operatur*, docent contineri virtualem quamdam diviſionem fidei in informem & charitate formatam. Sicut enim non omnis fides eſt charitate formata, ſic ex mente Tridentini, non omnis Contritio eſt charitate perfecta. Ut autem manifeſtum fiat, quàm commodè Tridentinum poſſit ſic explicari, utamur exemplo virtualis diviſionis, quâ divideretur Confeſſio ſacramentalis in publicam & privatam, & deinde in analogam ſpeciem Confeſſionis factæ non ſacerdoti, quo exemplo uſus ſum Xenij pag. 43. Demus proinde Tridentinum ità definiviſſe: *docet prætereà ſancta Synodus etſi Confeſſionem hanc aliquandò publicam eſſe contingat, hominemque Deo publicè reconciliare, ipſam nihilominùs reconciliationem ipſi Confeſſioni ſine ſacramento & abſolutione Sacerdotis non eſſe adſcribendam. Illam verò Confeſſionem, quæ fit non Sacerdoti declarat eſſe donum Dei, & impulſum Spiritus ſancti &c.* Nonne hæc omnia verè dicerentur, quamvis Confeſſio facta non Sacerdoti non foret vera pars ſacramenti Pœnitentiæ? Quid igitur vetat, illum eumdem ſermonem ad Attritionem gehennalem transferri? an fortè argutiæ logicæ utrumque ſermonem ex æquo rejicient quia propoſita diviſio

ſio non eſt modus vel inſtrumentum ſciendi, neque eſt oratio explicans naturam rei per partes? ſpectatum admiſſi riſum teneatis amici.

Imò non poſſe in Tridentino intelligi diviſionem logicam juxtà P. Le Dent, manifeſtum eſt, nam diviſio logica nihil debet continere ſuperflui, neq; in membris dividentibus poteſt exprimi quod expreſſum anteà fuerat de ipſo diviſo. v. g. ſi quis definiviſſet animal eſſe vivens ſenſitivum, & poſteà divideret animal in hominem & brutum, contrà leges diviſionis logicæ peccaret dicendo, quod brutum ſit animal irrationale ſenſitivum. Similiter ergo quandoquidem Tridentinum de Contritione in genere affirmaſſet, quòd ſit *cum fiducia divina miſericordia*, contrà leges diviſionis logicæ peccaſſet ſubjungendo poſteà de membro dividente, ſcilicet Attritione, quod debeat eſſe *cum ſpe venia* quod idem eſt.

Hoc ergo fundamento ſublato dignetur Lector indicia, quæ propoſui examinare, fallorque niſi reperiat firma omnia conſiſtere.

CAPUT QUARTUM

Examinantur rurſus argumenta P. Le Dent pro quæſtione principali.

§. I. *Expenditur primum argumentum P. Le Dent.*

PRimum argumentum petijt ex eo, quòd Tridentinum non traderet exactiorem & pleniorem de ſacramento Pœnitentiæ doctrinam, ſi cum ſacramento non ſufficeret Attritio ex ſolo metu gehennæ &c.

Reſpondeo à Tridentino tradi exactiorem doctrinam, quàm tradita fuerat ſeſſione 6. ad quam ſe refert Tridentinum, nec aliud myſterium ibi quærendum eſſe.

At, inquit, controverſia fuit cum Luthero, utrum Attritio ex ſolo motivo timoris abſolutè ſufficeret cum ſacramento, quamvis non eſſet exiſtimata Contritio: doctrina autem Tridentini erit confuſa, ſi non tradiderit illam ſufficere. *Sed contrà*, Quid ſi eodem fundamento dicam Tridentinum ne traderet confuſam doctrinam docuiſſe talem Attritionem non ſufficere, propterea quod motum veræ Contritionis dicat eſſe neceſſarium cum ſacramento?

Deinde falſum eſt, quod Catholici tempore Lutheri docuerint iſtiuſmodi Attritionem ſufficere cum ſacramento, ut ſtatim oſtendemus.

Præterea ſi Tridentinum tam exactam tradat definitionem &c. quid cauſæ eſt, quod juxtà Adverſarium Tridentinum non definierit utrùm mortalia dubia ſint in Confeſſione exprimenda, quandoquidem ea de re fuerit inter Lutherum & Catholicos, Eckium, Roffenſem &c. controverſia, prout oſtendi in diſquiſitione de peccatis dubijs? Quod ſi hîc Pro Attritione alleget praxim Eccleſiæ (quamquam falsò) nonne ante Tridentinum in praxi Eccleſiæ poſitum fuit confiteri mortalia dubia? pag. 11.

Addo denique me abundè probaſſe Tridentinum ſeſſ. 14. manifeſtè requirere amorem Dei cum ſacramento Pœnitentiæ.

§. II. *Expenditur ſecundum argumentum P. Le Dent.*

Secundum argumentum petit ex tam conſtanti & unanimi plurimorum omnis generis & conditionis conſenſu.

Verùm Contritionis Auguſtinianæ, vindices conſtantem illum & unanimem conſenſum cqnſtanter & unanimiter negant.

Et quidem, ſi conferamus oculos in tempora Tridentino priora, iterùm dico cum Joanne Morino nullum Authorem ab Adverſario proferri, qui expreſſis terminis doceat, quod *Attritio ex ſolo metu gehenna concepta & cognita proximè ſufficiat in ſacramento Pœnitentia.*

At exclamat hoc aliud non eſſe, quàm in meridiana luce nolle videre. Cœcutivit igitur Joannes Morinus, Hugo Mathoud, Ludovicus Lopez Melchioris Cani diſcipulus, alijque viri doctiſſimi? Non erubeſcam cum illis cæcutire, & collyrium ab Adverſario expectare. Sed videamus unde lux illa meridiana reſplendeat.

Jacobus Latomus docet non requiri *gratuitam Dei dilectionem, actum gratuitæ dilectionis, amorem Dei gratuitum &c.* in ſacramento Pœnitentiæ. Quid hujus veritatis luce ſplendidius? ſed expecta, & lege quę duodecim poſt lineis ſubjiciat idem Latomus dans ſecundam rationem cur gratuita dilectio non ſit neceſſaria, *quia* inquit, *ejuſmodi* DILECTIONIS *vel Contritionis actus ex* GRATIA GRATUM FACIENTE *procedit*. Audis, quid ſit gratuita dilectio? nimirum quæ ex gratia gratum faciente procedit. Quid igitur verba prædicta ad noſtram lucem

cem meridianam ? ſiquidem nos talem dilectionem non requirimus, ſed aliam quam diſertè admittit Latomus ibidem immediatiſſimè ante verba, quæ citat P. Le Dent. Cùm enim dixiſſet *Attritionis* vocabulum propter novitatem non debere rejici, ſtatim ſubjungit. *Numeratur & inter gratias gratis datas* CHARITAS *quædam & dilectio Dei, quâ erga Deum afficitur peccator in ſtatu peccati mortalis exiſtens, non quidem illa quæ finis præcepti eſt de corde puro, ſed tamen nonnulla* CHARITAS *eſt. Multa enim agit & patitur peccator amore Dei &c.* ſtatimque concludit Attritionem inde provenientem ſufficere: quæ eſt ipſiſſima noſtra ſententia Invenimus igitur lucem meridianam, ſed amoris non timoris, ſed charitatis, non ſervilitatis.

Quod ad Fiſſcherum attinet, tandē fatetur, quod abſtrahat à veritate ſententiæ, quæ aſſerebat cum ſacramento ſufficere votum doloris, aut quod quis doleret ſe non dolere: quam ſententiam non negabit P. Le Dent falſam eſſe. Quomodò ergo inde lux meridiana? Abſtrahitne lux meridiana à ſplendore veritatis & tenebris falſitatis ?

Objicit deinde Gabrielis teſtimonium docentis ſententiam, quæ tradit Attritionem ſufficere, *habere graves viros defenſores.* ſed *contrà primò* oſtendi debuit, quod non agant de Attritione exiſtimata Contritione. *Secundò*, quod Attritionis nomine non intellexerint aliquam ſaltem tenuem Charitatis ſcintillam contineri, ſoloque timore contenti fuerint. Certè Gabriel in argumento contrario ſupponit Authores, quos impugnat, docere quod Attritio penes intenſionem differat à Contritione, ac proinde, quod non differant objectis. Et diſt. 16.a.3.dub.1. refert opinionem Adverſariorum ſuorum tamquam docerent Attritionem & Contritionem non differre niſi penes intenſionem & remiſſionem. Quidquid ſit non ſunt expreſſi termini, prout poſtulo, non eſt lux meridiana, quam in Gabriele ſplendeſcere clamat Adverſarius.

At numquid Durandus plus lucis adferet? minimè rerum. Docet quidem Attritionem ſupeveniente ſacramento virtute clavium effici ſufficientem: ſed quid inde ? Qui docebant virtute clavium, ſuperveniente ſacramento infundi motum Contritionis, nonne hoc totum admittebant? Quid ſi hoc ſenſu dicat Durandus ibidem, quod *in abſolutione Attritio præcedens fit Contritio*? Non dubito quin aliquod gloſſema verborum Durandi ingenioſè opponetur, verùm ego expreſſos terminos poſtulaveram, qui nec producti ſunt, nec producentur. Aliunde ergo accerſenda eſt lux meridiana.

At unde ? dicam ab illo conſtanti & unanimi conſenſu omnium

ſententiariorum ad diſt. 20. lib. 4. ſententiarum ubi uno velut ſenſu & calamo conſentiunt Pœnitentiam ad finem vitæ periculosè protrahi, quia tunc non ex charitate, ſed ex ſolo timore videntur Pœnitere. Neminem interpretum reperies, qui non toto corde ſuſcipiat aurea illa verba, quæ ex libro de vera & falſa Pœnitentia adfert Magiſter ſententiarum: *Arbitrij libertatem quærit Deus, ut deleri poſſint commiſſa: non neceſſitatem, ſed* CHARITATEM *: non tantùm timorem, quia non in ſolo timore vivit homo. Quem ergo ſeriò pœnitet, oportet non ſolùm timere iudicem, ſed diligere, quia ſine* CHARITATE NEMO SALVUS ESSE POTEST. Quam doctrinam Gratianus cum ſuis interpretibus approbavit in canonem *nullus* diſt. 7. de Pœnitentia.

Quod ſi deflectamus oculos in tempora Tridentino poſteriora, abſit, ut fateamur Theologos conſtanti & unanimi conſenſu docuiſſe ſententiam, quam impugnamus ſiquidem in diverſiſſimas abjerunt ſententias. Plurimi, etiam qui Tridentino propriâ manu ſubſcripſerant, requiſiverunt cum ſacramento Contritionem perfectam, quam ſententiam, ſi Caramueli credimus, nemo demonſtrabit eſſe improbabilem. Alij Attritionis nequidem meminerunt. Alij docuerunt Attritionem ſervilem cum ſacramento ſufficere, dummodò tamen exiſtimaretur Contritio. Qui iterùm erant diviſi, nonnulli enim voluerunt neceſſitatem Pœnitentiæ ſuppleri per gratiam ſanctificantem: alij maluerunt aſſerere in ſuſceptione ſacramenti infundi motum veræ Pœnitentiæ & Contritionis.

Aliorum ſententia fuit Attritionem ſufficere cum ſacramento, etiamſi non exiſtimaretur Contritio, quam Attritionem nonnulli aſſeruerunt eſſe naturalem, alij, & communiùs, ſupernaturalem.

Attritionem autem cognitam ſufficere cum ſacramento quidam timidè docuerunt, vix auſi doctrinam illam publico proponere: alij deinde audaciores effecti tamquam probabilius ſuſtinuerunt ità ut oppoſitæ ſententiæ ſuam probabilitatem non denegarent, inter quos pag. 38. eſt Toletus, Sayrus, Lorinus, Salonius &c. Caramuel cum docuiſſet differentiam Contritionis & Attritionis non ità clarè explicari à Theologis, ut ſcrupuloſus animus quieſcat, dicit, quod ille habeat Contritionem, qui dolet ſe patraſſe peccatum, ille Attritionem, aut Contritionem imperfectam, qui dolet ſe dolere non poſſe.

Denique, ut alias ſententias prætermeam, plurimi Theologi, neque numero, neque authoritate exigui, docent Contritionem & Attritionem non differre niſi penes intenſum & remiſſum, quorum ſententia indubiè probabiliſſima eſt.

Alias ſententias prætereo, & peto ſitne ille conſtans & unanimis Theologorum de Attritione conſenſus? Dices fortaſsè ſententias alias eſſe falſitati obnoxias: at illud ipſum de tua ſententia reponent omnes alij. Ergo inter vos non eſt unanimis conſenſus. Ergo, niſi velis principium petere, aliunde, quàm ab unanimi Theologorum conſenſu, concluſionem tuam debes probare.

Unum hîc adverto veriſſimam eſſe hanc maximam Patris Vaſquez: *negare non poſſumus turbam Doctorum aliquandò amplecti unam opinionem abſque delectu rationum, aut ſaltem non tam exactè rationibus ponderatis.* Ut propterea non ſit mirum opiniones ſcholaſticas habere ſuos fluxus & refluxus; ceterùm veritas Domini manet in æternum. 1. 2. diſp. 62. c. 2.

§. III. *Expenditur tertium argumentum P. Le Dent.*

TErtium argumentum petit ex eo, quod Tridentina Synodus illum Contritionis modum tueatur, ac adſtruat, quem rejiciebat Lutherus: hic autem loquebatur de Attritione, quæ non erat ex charitate, ſed ex ſolo timore pœnæ. Ergo

In luto Lutherano ſatis ſuperque demorata eſt noſtra oratio, quare verbo abſolvo, & dico Tridentinum non tueri ſimpliciter, nec adſtruere modum Contritionis, quem rejiciebat Lutherus, ſed cum addito, nimirum *cum propoſito melioris vitæ*, cujus non meminerat Lutherus, prout patebit conferenti canonem 5. cum verbis Lutheri, apud P. Le Dent. num. 100. Cæterùm propoſitum vitæ melioris negamus poſſe haberi ſine aliquo Dei propter ſe amore. Alia, quæ reſponderi poſſunt brevitatis ergò prætermittimus.

§. IV. *Diſcutitur locus Auguſtini de catechizandis rudibus.*

VTinã ante Auguſtini tribunal decidenda foret hæc controverſia: illo judice nihil metuerem, quem ſcio non tantùm fuiſſe charitatis ardentiſſimum cultorem, ſed & profundiſſimum Doctorem. Audiamus tamen quid in ipſo Charitatis Doctore, Charitatis obligationi contrarium reperiat Adverſarius. Opponit Auguſtinum de Catech. rud. c. 17. docere illum eſſe verè Chriſtianum, qui vult fieri

Chri-

Chriſtianus, ut non eat in ignem æternum. &c.

Reſpondeo Patrem Le Dent non verſari in caſu Auguſtini, putat enim Auguſtinum agere de illo, qui de facto Baptizatur, cùm tamen Auguſtinus agat de aliquo cathechizando, qui mediante inſtructione accedit ad Baptiſmum, prout patet ex toto decurſu libri, præcipuè ex initio. Senſus ergo Auguſtini eſt, quod cathechizandus habeat animum verè Chriſtianum, qui ex timore gehennæ accedit ad inſtructionem baptiſmo præmitti ſolitam, quia (uti obſervaveram in Xenio ex Tridentino ſeſſ. 6. can. 28) poteſt aliquis eſſe Chriſtianus, quamvis deſtitutus ſit charitate & remiſſione peccatorum. De tali porrò Catechumeno rectiſſimè dicit Auguſtinus, quod *proficiendo veniet ad talem animum, ut plus amet Dominum, quàm timeat gehennam*, quia accedente inſtructione docebitur Deum eſſe diligendum ex toto corde &c. Atque hoc eſt, quod Auguſtinus ibidem cap. 5. ſcribit: *de ipſa etiam ſeveritate Dei quâ corda mortalium ſaluberrimo terrore quatiuntur* CHARITAS *ædificanda eſt: ut ab eo quem timet, amari ſe gaudens, eum redamare audeat, eiuſque in ſe dilectioni etiamſi impunè poſſet, tamen diſplicere vereatur. Rariſſimè quippe accidit, imò ferè nunquam, ut quiſquam veniat volens fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo Dei timore perculſus.* Dicit Auguſtinus in ipſis Catechumenis ædificandam eſſe charitatem, quia licet, qui timet habeat animum verè chriſtianum, tamen niſi ædificetur in charitate ad chriſtianum Baptiſmum ſine cauſa nititur accedere.

CAPUT QUINTUM.

Examinantur Reſponſa, quæ propoſitis ex Tridentino argumentis adfert P. Le Dent.

NIhil propiùs fuit; quàm ut omnia effugia præcluderem hâc unicâ provocatione: *Probes propoſitum efficax ſervandi mandata divina poſſe haberi ex adaquato & ultimato motivo timoris gehennæ.* Hoc enim in omnibus pœnè ſuis reſponſis pro conceſſo aſſumit, nuſquam probat. Malui tamen pleraque curſim delibare, ut tantò manifeſtior fiat veritatis & charitatis conjunctio.

§. I.

§. I *Quid reſpondeat argumento; petito ex eo quod ante Baptiſmum oporteat Deum diligere* tamquam fontem omnis Juſtitiæ?

PRimò, (contra *communem ſententiam*, ut fatetur Tannerus) Tridentinum explicat de amore concupiſcentiæ, ſive de amore ſui-ipſius. Miratur, quod provocaverim ad P. Suarez. Atqui ego non ad P.Suarez, ſed ad argumenta P. Suarez provocaveram, quibus necdùm reſponſum eſt. D. Thomam, & Catechiſmum Romanum explicat de charitate per ſe juſtificante, verùm cùm Catechiſmus Romanus & idem eſt de Concilio Moguntino loquantur conformiter Tridentino intelligi debent de diſpoſitione etiam cum Sacramento,ſicut & Tridentinum, ac proindè non poſſunt intelligi de charitate per ſe juſtificante.

Quæ omnia tantò certiora ſunt, quod ſcopus Tridentini fuerit agere de amore benevolentiæ contra hæreticos negantes talem amorem priorem eſſe reconciliatione, quodque hæretici Tridentinum ſic intellexerint,Catholicis Scriptoribus Judoco Ravenſteyn, Stapletono &c. ultroneè illud ipſum admittentibus. Vide Quæſt. Quodl. pag.6. & 7.

SECUNDÒ, dicit particulam *proptereà* referri ad varia motiva timoris, Spei, amoris, ex quorum ſingulis concipi poteſt deteſtatio peccatorum efficax. Sed *contrà*,cùm ſit idem tenor verborum,debebit etiam referri ad fidem, quod ex verbis meis meritò improbat. Relege Xenium pag. 11. Suarez tradit diſiunctionem, ſed planè diverſam.

TERTIÒ, Tridentinum explicat de juſtificatione extra-ſacramentali. Sed *contrà*, agitur de Pœnitentia quam ante Baptiſmum agi oportet, non oportet autem ante Baptiſmum agi Pœnitentiam,quæ ſit diſpoſitio ad juſtificationem extraſacramentalem. Relege Xenium pag. 11. & 12.

Abſtruſa porrò reſponſa, quæ Adverſarius opponit veritati per ſe micanti,capiat qui capere poteſt. Clarum mihi eſt non eſſe niſi elaborata effugia.

§. II. *Quid P. Le Dent reſpondeat argumento 2. & 3. petito ex eo quod fidei, & Spei charitas debeat accedere?*

SIbi conſtat, & cap. 7. Tridentinum de ſolis habitibus locutum

 fuiſſe

fuiſſe pergit affirmare. Ego verò ab illis, ut minimùm, verbis, *ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem & cooperationem*, ſermonem eſſe de actibus indubitatè aſſero.

Lubet exordiri à veritate, quæ in controverſiam vocari nequeat. Verba illa: *ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem & cooperationem*, de habitibus intelliguntur, an de actibus? Utique reſponſurus es de actibus intelligenda. Ergo negari non poteſt cap. 7. ſaltem aliquam mentionem fieri de actibus. Quid porrò immediatiſſimè ſequitur poſt verba illa: *Secundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem &c.* nimirùm: *Quamquam* ENIM *nemo poſſit eſſe iuſtus.&c.* Quò igitur refertur particula *enim*? utique ad verba immediatiſſimè præcedentia, ac proindè ad actus diſponentes & cooperantes, non autem ad aliqua dona habitualia.

Hic eſt igitur ſenſus Tridentini, quo jugulatur hæreſis Lutheri: unica eſt cauſa formalis juſtificationis noſtræ, quam recipit unuſquiſque ſecundùm menſuram actuum ſuorum & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem & cooperationem. Quod autem noſtra diſpoſitio & cooperatio requiratur & non ſufficiat ſola fides, ut volunt Lutherani, probatur, quia actus charitatis diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret: quia fides niſi ad eam accedat actus Spei & Charitatis non unit perfectè cum Chriſto, neque corporis ejus vivum membrum efficit: hinc fides ſine operibus ſpei & charitatis mortua eſt: hinc requiritur fides per actum charitatis operans: hinc requiritur obſervatio mandatorum &c.

Totus hic diſcurſus æqualiter, planiſſimèque fluit, efficacibus Scripturæ locis ſtabilit veritatem Catholicam, & præfocat hæreſim Lutheranam de ſolo actu fidei ad juſtificationem ſufficiente.

Opponit hæc verba: *quamquam enim &c.* connecti cum præcedentibus, nulla autem erit connexio, ſi intelligantur de actibus, cum in prioribus actum ſit de habitu &c.

Verùm oppoſitum jam oſtendi: nam particula, *enim*, immediatè connectitur verbis illis: *ſecundum propriam cuiusque dipoſitionem & cooperationem.* Audis *diſpoſitionem*? Audis *cooperationem*? *quid igitur dubitas ſermonem eſſe de actibus diſponentibus, & cooperationibus*, prout argumentatus fueram Xenij pag. 17. *Contra quæ* Adverſarius *nihil tutius invenire potuit, quàm ſilentium. Hinc ergo laudandus eſt, quod cùm hoc omninò invictiſſimum cerneret, ſilentiò prætermiſit*, prout in ſimili Auguſtinus reponit Petiliano.

Cetera, quæ opponit, nullius momenti ſunt, & ex dictis nullo ne-

gotio diſſipantur. Tridentinum enim initio capitis egerat de juſtificatione formali, hîc de diſpoſitione & cooporatione ad juſtificationem: actus autem vitales non inhærere animæ, falſum eſt.

Conſideret autem Lector quanta cum violentia conetur Tridentinum & verba Scripturæ ab eo allegata ad habitus trahere. Quis enim illa verba: *Fides ſine operibus mortua eſt*, de habitibus unquam intellexit?

Denique Tridentinum hæreticos hîc perſtringit. Quis autem hæreticorum diſputavit an fidei habituali deberet, vel non deberet accedere habitus Spei, vel Charitatis? Teſte Bellarmino Catholici contra Lutheranos probant *non ſolam fidem per modum* DISPOSITIONIS juſtificare: hoc autem efficaciùs fieri non poteſt, quàm locis illis Scripturæ quæ adfert Tridentinum. Cùmque nomine diſpoſitionum actus, non habitus ſoleat intelligi. Ergo &c.

§. III. *Quid reſpondeat Argumento quarto, quod ex neceſsitate Pœnitentiæ propoſitum fuerat?*

VErbo dicam, *nihil*. Produxeram enim (ſalute ex inimicis noſtris quæſitâ) hanc concluſionem à Melchiore Cano ex Scriptura, Patribus, Angelico Doctore &c. probatam: *Primus actus Pœnitentiæ nunquam eſt ſine actu Charitatis*: Dixeram Melchiorem Canum vi veritatis adactum, auſum fuiſſe aſſerere hoc eſſe *definitum* in Tridentino: quid ad hæc Adverſarius? *Nihil*. Negat in Sacramento Pœnitentiæ fieri reconciliationem affectuum. Sed hoc ipſum *nihil* eſt. Quâ fronte enim poſſumus velle Deum nobis quoad affectum reconciliari, ſi nos ipſos nolimus Deo quoad affectum reconciliare? Quis aliàs non expectet meritò illud Poetæ ſibi improperari:

Marce, ut ameris, ama?

Docet reconciliationem fieri in Sacramento Pœnitentiæ ſicut in parvulis. *Nihil*. Affirmat *triſtitiam ſecundùm Deum* non eſſe Apoſtolo triſtitiam ex amore Dei. Oppoſui Chryſoſtomum, Caſſianum, Angelicum Doctorem, & Cornelium à Lapide. Quid reſpondet? *Nihil*.

§. IV. *Quid reſpondeat argumento petito ex eo, quod Pœnitentia debeat averſari peccatum, ut eſt offenſa Dei* &c.?

PRimùm negat neceſſarium eſſe, ut Pœnitens averſetur peccatum, ut eſt offenſa Dei. Verùm hoc in Quæſtione Quodl. evidenter

probavi ex Alphonſo Vega, Tappero, Reginaldo, Tannero, Stapletono, Valentia, Ludovico Carbone, D. Thoma, Enchiridio Colonienſi, confeſſione Catholica Lovanienſium, Auguſtino, D. Antonino, Alberto Pighio, Latomo, & Franciſco Toleto, qui omnium expreſſiſſimè pro praxi Confeſſariorum ſtatuit hanc generalem regulam: *non eſſe admittendos ad Confeſſionem, niſi qui peccata deteſtantur, ut* OFFENSA *Dei ſunt*. Offenſam opponens peccato *prout eſt alicuius mali cauſa &* POENÆ INFERNI. Vide quæſt. quodl. pag. 22. ubi lineâ 16. irrepſit vox *tamquam* pro *tantam*, prout habebatur lineâ 13.

Aliam reſponſionem adfert diſtinguendo offenſam Dei in varias ſignificationes, ſed oſtendere deberet, quod Authores iſti, quos attulit loquantur in illa ſignificatione, quam pro arbitrio fingit.

§. V. *Examinatur reſponſum datum argumento petito ex neceſſitate converſionis ad Deum.*

QUám multa hîc aure ſurdâ, & ſicco calamo prӕterit! ut probarem converſionem cordis ad Deum non poſſe obtineri ſolo metu gehennӕ bis produxi veritatis luce micantiſſima melliflui Doctoris verba: *nec timor, nec amor privatus* CONVERTIT *animas, Caritas vero &c.* Item bis protuli receptam ab antiquis ſcholaſticis, imò & Juriſconſultis, Authoris de vera & falſa Pœnitentia doctrinam, quod ille *convertatur, qui iam totus & omninò vertitur, qui iam non tantùm pœnam non timet ſed ad bonum Deum contendere feſtinat.* Bis etiam oſtendi petitis ex Rusbrochio & Roderico argumentis, quod in amore concupiſcentiӕ homo potius ſeipſum habeat pro ſcopo, ac proinde quod potius convertatur ad ſeipſum quàm ad Deum. Quid his omnibus repoſitum eſt? altiſſimum ſilentium.

Et ſanè amor concupiſcentiӕ juxta Adverſariòs (ex eorum ſententia loquor) eſt amor ſui ipſius: quis autem dubitet cor ad illud converti, quod amat? Quod autem D. Thomas dicat aliquem converti ad Deum propter timorem ſervilem nihil obſtat, quia, ut notat Sylvius verba illa intelligenda ſunt juxtà initium corporis, ubi agitur de converſione, qua *aliquo modo ad Deum convertitur.* Siquidem qui per timorem ſervilem incipit eſſe in via converſionis ad Deum quamvis nondum omnino pervenerit ad illam converſionem, nihilominus *aliquo modo* poteſt dici per illum timorem converti ad Deum. Et hoc

ſenſu intelligendum eſſe D. Thomam probant teſtimonia quibus docet, quod per timorem homo non moveatur in Deum, & eo ſenſu non convertatur in Deum &c.

§. VI. *Quid reſponſum ſit argumento petito ex neceſſitate Contritionis?*

NOlo examinare gloſſema, quod adfert authoritati Angelici doctoris dicentis ad charitatem pertinere deteſtari peccata &c. Nolo, inquam, dicere, dum dicitur aliquid pertinere ad aliquam virtutem, ſenſum eſſe, quod hoc illi virtuti proprium & ſpeciale ſit: nolo inſuper dicere neglecta eſſe manifeſtiſſima Auguſtini teſtimonia: ſed neque lubet diſcutere, quæ oppoſueram de diſcrimine veteris & novi Teſtamenti, ubi per amorem, dum timori opponitur, aliud à timore diverſum intelligi non eſt, quod dubitemus:

Verùm illud aſſero R. Patrem Le Dent admittere & non admittere neceſſitatem Contritionis in ſacramento Pœnitentiæ. Admittere, ſaltem ſcripto tenus, manifeſtum eſt. Non admittere, ſic oſtendo P. Le Dent num. 125. ex Puteano noſtro docet in ſacramento ſufficere virtualem Contritionem: quâ Attritio gehennalis *operatur illud idem in nobis, quod præſtaret Contritio.* Hoc autem quid eſt aliud, quàm negare veræ & realis Contritionis neceſſitatem in ſacramento Pœnitentiæ? nam vera & realis Contritio debet eſſe verus motus Contritionis juxta Tridentinum: virtualis autem Contritio non eſt verus motus Contritionis, ſed aliquid vicarium. Quod ſi omne illud, quod *operatur illud idem in nobis, quod præſtaret Contritio* debeat dici Contritio virtualis, quid cauſſæ erit cur extrema unctio, Euchariſtia, aliaque ſacramenta dici non poterunt Contritio virtualis, dum propter bonam fidem operantur illud idem in nobis, quod præſtaret Contritio? Quid ſi ſimiliter dicam in Baptiſmo ſufficere virtualem ablutionem, in confirmatione virtualem unctionem, in Euchariſtia virtualem conſecrationem. &c.

§. VII. *Quid reſponſum ſit argumento octavo & nono?*

ARgumentum octavum firmatum eſt toto capite 2. ubi oſtendimus Reſponſa & argumenta P. Le Dent circa excluſionem peccati continere manifeſtam petitionem principii. Quarè plura non adjiciam.

Quod attinet ad Pœnitentiam Ninivitarum, quidquid demùm

fuerit illa miſericordia, cujus meminit Tridentinum, dico me antehàc neque legiſſe, neque audiviſſe Ninivitas fuiſſe juſtificatos ſolo timore, abſque aliquo Dei propter ſe amore.

§. 8. *Quid ad argumenta conglobata?*

IN reſponſione ad 1. argumentum pro conceſſo habet ex ſolo timore poſſe haberi deteſtationem peccati commiſſi, & propoſitum omnia vitandi. Quod negamus ex dictis, & ex hoc ipſo Apoſtoli loco.

Argumento 2. reſpondet Apoſtolum charitatis nomine per quam fides operatur intelligere habitualem. Verùm negari non poteſt, quin Auguſtinus charitatem actualem intellexerit, ſolet enim legere *dilectionem*, quam lib. de gra. & lib. arb. c. 17. vocat *divino amore ardentiſſimam voluntatem.*

Argumento 3. reſpondens non diſtinguit inter juſtitiam actualem, & habitualem. Dicit eſſe probabile habitum fidei & ſpei pertinere ad formalem juſtificationem. Verùm non negabit contrarium eſſe probabilius. Ergo probabilius eſt ibidem agi de actibus. Ergo.

Argumento 4. reſpondet Chriſtum diligi quandò ſervantur ejus mandata. Verùm ſi Chriſtum diligi nihil aliud ſit, quàm ſervari alia mandata à dilectione diverſa, quo loco, aut quibus verbis præcipietur interna charitatis dilectio?

Argumento 5. Bellarminum conatur interpretari, ſed fruſtrà. Verba Bellarmini clara ſunt & optimè conſiſtunt cum aliis quæ allegantur. Poteſt enim dolor ex ſolo metu eſſe bonus, quamvis debeat referri ad gloriam Dei.

Argumento 6. reſpondet timorem ſervilem diſponere ad actum charitatis, & hoc ſenſu eſſe principium extra diſponens ad ſapientiam. Verum de ſapientia fuerat ſermo, non de charitate.

Quod ad poſtremum argumentum attinet, iterum dico fletus illos, de quibus expreſsè Tridentinum, ſynceræ dilectionis & amoris Dei exploramentum fuiſſe, non ſolius timoris.

CAPUT SEXTUM.

Quid Epiſtolæ dedicatoriæ Xenii reſpondeat P. Le Dent?

OStenderam in Epiſtola dedicatoria Xenii, quàm inaniter P. Le Dent. reſponderat quibuſdam S. Scripturæ teſtimoniis, quæ

quæ Author epiſtolæ familiaris oppoſuerat. Non acquievit tamen, ſed bellum defenſivum pugnaciter reſumpſit. Videamus quàm feliciter.

Primò propoſitus fuerat hic locus 1. Joan. 3. *tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit manet in morte.* P. Le Dent reſpondit locum illum intelligi de charitate fraterna, ſed mirabilem charitatis fraternæ addidit interpretationem. *Per dilectionem*, inquit, *ſeu charitatem proximi non intelligit Apoſtolus actum* POSITIVUM *amoris amicitiæ erga proximum, ſed tantùm* NEGATIONEM ODII *& cuiuſvis iniuriæ in proximum, ac inſuper exhibitionem officiorum &c.* Hanc interpretationem ex D. Hieronymo & Eſtio evidenter rejeci. Item oſtendi, quòd omnia præcepta poſitiva evaneſcent in negationes. Si enim fraterna charitas tantùm ſit negatio odii cùm officio externo: quidni & fides tantùm ſit negatio infidelitatis cum officio externo?

Quia verò dixeram ex Auguſtino de fide & operibus charitatem fraternam dilectioni Dei conjunctam eſſe, P. Le Dent. ut hoc telum declinaret, excogitavit interpretationem, non ſpecie tenus, ſed reverà paradoxiſſimam. Vult enim perſuadere Auguſtinum nomine *dilectionis Dei* intelligere *fidem*, utique mortuam & à Dei dilectione ſeparatam. Sed non perſuadebit. Quis enim credat Auguſtinum primo illo præcepto: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.* Fidem mortuam intellexiſſe? Neque verò hæc erat ſententia eorum, quos impugnat Auguſtinus, ſed docebant *fidem tantùm, quæ in Deum eſt* baptizandis *intimandam*: ubi per fidem, quæ in Deum eſt, intelligebant fidem dilectioni Dei conjunctam, & ab omni dilectione proximi ſeparatam prout patebit legenti textum. Quam ſeparationem dilectionis Auguſtinus rejicit. matth. 22.

SECUNDÒ objecta fuerant verba Apoſtoli 1. Cor. 13. ubi dicit ſe ſine charitate nihil eſſe.

P. Le Dent quamvis præmittat locum illum poſſe intelligi de charitate habituali, *alij* TAMEN, inquit *quibus potius adhæreo*, *hanc Apoſtoli ſententiam exponunt de charitate fraterna.* Poſtremam hanc interpretationem aſſertam eo ſenſu, quem volebat Author, impugnavi. Ubi per charitatem fraternam non videbatur intelligere actum poſitivum amoris amicitiæ ergà proximum, ſed meram negotionem iræ, vel odij in proximum, adjunctis etiam, ſi lubet, externis dilectionis offi-

officijs. Cujus meæ confutationis cùm non meminerit, ſperò, quod à priore interpretatione recedat.

Tertiò allegatus fuerat locus ex 1. Petri 3. de conſcientiæ bonæ interrogatione in Baptiſmo. Reſpondet propoſitum ſervandi mandata divina, etiam illud: *diliges Dominum Deum tuum* &c. poſſe haberi ſine aliqua Dei dilectione, ſed hoc repugnat Tridentino ſeſſ. 6. c. 7. ubi ad probandum, quod fidei, & Spei debeat accedere charitas, adfertur illud propoſitum ſervandi mandata divina.

Quartò propoſitus fuerat locus Joan. 14. *qui non diligit me ſermones meos non ſervat.* Reſpondet per dilectionem intelligi *pium affectum & voluntatem Dei præcepta ſervandi ex quocumque bono motivo, quæ etiam*, inquit, *quædam Dei dilectio eſt.* Hæc interpretatio ſi admittatur, utique perit omnis via probandi ex ſcripturis dilectionem Dei propter ſe eſſe præceptam. Sed fortè aliàs dabitur locus hoc reſponſum eradicitus evellendi.

reſp. ad Ep.fam, n. 37.

Quintò productum fuerat illud ad Rom. 14. *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, quod de fide per dilectionem operante intelligit Auguſtinus, & Pontificale Romanum.

Queritur ſibi obtrudi ſenſum à contextu & communi Interpretum conſenſu alienum. Additque *in Eccleſiaſticis officijs, ac Ritualibus non rarò verba Scripturæ accipi in ſenſu aliquo accommodatitio.* Fateor R. Pater, ſed numquid etiam in *ſenſu falſo, & ſpiritu mendacij*? Quocumque ſenſu loquatur Pontificale Romanum, negare non potes ſenſum illum eſſe verum, ac proinde argumentum propoſitum vim ſuam retinere.

Pluribus huic rei èxplicandæ non immorabor, ſed neque Lectorem ulterius hàc Apologiâ detinebo. Confido quæ dicta ſunt propoſito meo ſufficere: *ſi quid autem fortè diſputando non attigi, tale arbitratus ſum, cui mea reſponſio neceſſaria non fuiſſet: ſive quod ad rem, de qua agitur, non pertinet, ſive, quod tam leve eſſet, ut à quolibet redargui facillimè poſſet*, ut cum Patre meo Auguſtino loquar. Cujus verbis coronidem huic Apologiæ impono: *teneamus Charitatem, ſine qua, & cum* Sacramentis, *& cum fide nihil ſumus.* AMEN, AMEN.

c. ult. de fide & opᵉ

l. 2 cont. petil. c. 77.

ERRATA SIC CORRIGE.

pag. 4. lineâ 7. ſi do admittit, l. ſi admittit, do manus &c.
pag. 25. lineâ 18. illo Dei amore l. ſine ullo Dei amroe.
pag. 31. liniâ 3. notitione lege notione.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE